AVLI BENII EVGVBINI

DISPVTATIO;

QVA OSTENDITVR PRAESTARE
nœdiam atque Tragœdiam metrorum vincu-
ſoluere : nec poſſe ſatis, niſi ſoluta oratio-
e, aut illarum decorum ac dignitatem re-
tineri; aut honeſtam inde voluptatem
ſolidamque vtilitatem percipi.

am ſanè Diſputationem Alexander
ampilia Vicẽtinus Poeticæ ſtudioſus

illuſtri Comiti generoſiſſimo-
ue Olympicæ Academiæ
Principi

ERONYMO PORTO

Dat, Donat, Dicat.

PATAVII,
ud Franciſcum Bolzetam. An: CIↃ IↃC.
Ex Typographia Laurentij Paſquati.
Facta a Superioribus Poteſtate.

PERILLVSTRI
Comiti
Ac generosissimo Olympicæ Academiæ
PRINCIPI
HIERONYMO
Porto
Alexander Campilia . S.

NVNQVAM egregium illud ac magnificum vel potiùs regium Patriæ nostræ Theatrum aut respicio præsens & circunspecto, aut absens intueor animo, quin mihi Vicetinorum nobilitate, ingenio, magnanimitate, maximè verò florentißimo

Olympicæ Academiæ choro, dignisſimum videri ſoleat. Sed tamen illud me mirificè delectat hoc tempore, quòd te & Theatri & Academiæ noſtræ Principem cerno, in quo cum virtutes atque animi ornamenta omnia, tum verò corporis decus fortunæque bona mirum in modum elucent ac florent. Quæ cum ita ſint, nil miraberis, opinor, quòd a me videas Diſputationem hanc elegantisſimam, ac leporis, ſuauitatis, ſed eruditionis in primis eloquentiæque plenisſimam, tui nominis authoritate munitam, & ſplendore illuſtratam, publicis literis ac poſterorum memoriæ conſecrari. Ego ſanè illud verisſimè affirmare poſſum, me cum in clarisſima hac luce hominum optimarumque artium domicilio ab authore illa ſuo haberetur, mirificè delectatum eſſe, eandemque noſtro Theatro, Academia, Academiæque Principe dignisſimam reputaſſe. Quapropter nihil antiquius habui quàm vt eam ab authore, hoc eſt a clarisſimo viro Paulo Benio, impetrarem, ac typis mandatam, meum & Academicis nobilisſimis & Principi ſplendidisſimo Patriæ denique vniuerſæ nobili hoc monumento

amórem obſeruantiamque declararem. Et quamuis optaſſem proprijs id vigilijs efficere vt mea vobis teſtatior voluntas eſſet, veruntamen, quoniam non interim licuit, dabitis mihi hanc veniam vt hoc efficiam alienis: præſertim cum eiuſmodi diſputatio ab eo profecta ſit qui non ſolùm eloquẽtiæ liberaliumque Artium laude ac Philoſophiæ inprimis Theologiæque ſcientia excellit ac floret, verùm etiam Vicetinos diligit colitque mirificè. Quid enim non eos colam (ſic enim ille) qui quantum Cœli clementia ac fœlicitate, vbertate ac feracitate ſoli, frugum fructuumque ſuauitate atque præſtantia, ſic nobilitate, ingenio, magnanimitate, denique literarum ſtudijs bellique artibus excellunt ac præſtant? Vale ac viue fœlix Princeps generoſisſime, atque Academiæ Patriæque noſtræ diu viue. Dat. Patauij prid. Id. Iulij. CIↃ. DC.

Ad Lectorem.

LEctore nobis gratius nil candido;
Docto tamen, quique eruditas afferat
Aures & excultas. Facessant tetrici
Optamus ergo longiùs, maleuoli,
Musis & infensi, bonis tandem artibus.

Errata ſic Corrigito.

Pag 3. ver 33. *grandientem* corrige *gradiente:*
facie 2. ver. 28. *fruſlantur* cor: *fruſtrantur*
pag. 9. fac 2. ver. 18 *cotporis* cor. *corporis*.
eodem ver *reddarur* cor. *reddatur*.
pag 16. fac. 2 ver. 17. *autor* cor *vtor*.
pag. 18. ver. 9. *formidoloſæ* cor. *formidoloſa*.
pag. 19. ver. 2 *grauisſimum* cor. *grauiſſimum*.
ver 18. *numque* cor. *cumque*.
pag. 20. ver. 15. *dytirambica* cor. *dityrambica*.
pag. 26. & 27. in margine *Peroratur. Diſputatio:*
corrige, *Peroratur Diſputatio*.

Præſtare Tragœdiam atque Comœdiam metrorum vinculis ſoluere;

Nec poſſe ſatis, niſi ſoluta oratione, aut illarum decorum ac dignitatem retineri: aut ſolidam vtilitatem honeſtamque voluptatem percipi.

SI quis ex me requirat, ac ſciſcitetur, num ſiue Comœdia, ſiue Tragœdia carmine ſit conſcribenda, an verò ſoluta oratione, pedeſtrique ſtylo laudabiliter & ſcribi, & recitari poſſit; ego ſanè, Auditores ornatiſſimi, meum hac in re iudicium interponere libentiſſimè recuſarim. Quod ſi tamen vrgeat, vt pro meo munere id exponam, ac ſine cunctatione vlla exponam, dicam ingenuè quod ſentio. Ac primùm quidem fateor me hac in re non poſſe non magnopere illorum authoritate commoueri, qui acriter contendunt ac pugnant Tragœdiam atque Comœdiam certis numeris atq; carminibus eſſe illigandam, ſolutæ orationi nullo modo. qui enim ita præcipiunt ac ſentiũt, & permulti ſunt, & (quod caput eſt) eruditione atque doctrina excellunt ac præſtant. Veruntamen ſi tantiſper interim authoritatem mittamus, ac rem totam argumentis rationumq; momentis ac pondere æſtimemus, ego ſanè omnino cogor (inuitus dicam, Auditores, ſed dicam

tamen) ab istorum sententia discedere, & quamlongissimè discedere: vsq; adeò firma & grauia sese mihi argumenta pro ijs obijciunt qui pedestri oratione ac styloCo mœdias Tragœdiasue conscribunt.

QVIBVS RAtionib⁹ doceri possit præstare TRAGOEDIAM & Comœdiā meliorum vinculis soluere.

At enim, quæ tandem sunt argumenta ista? quæ rationum momenta? Illa, Auditores, quibus apud me efficitur ac perspicuè demonstratur, Comœdiam ac Tragœdiam posse magna cum laude ac dignitate soluta oratione conscribi ac nuda: contra verò carminibus minore cum laude ac dignitate concludi & illigari. Immo verò magnopere vereor ne eadem argumenta illud quoq; efficiant; Comœdiam scilicet ac Tragœdiam, si numeris ac versibus concludatur, plurimum fidei & authoritatis amittere: illius decorum, quod tamen diligenter custodiendum est, perturbari; deniq; dignitatem, quæ maximè ex decoro ac verisimili oritur, mirificè violari. vt propterea qui Comœdiam atq; Tragœdiam omnibus numeris absoluere atq; in Theatro spectandam proponere velint, ijs ad solutam orationem confugiendum sit.

Verùm ne id videar verbis statuere potiùs quàm confirmare argumentis, atq; adeò triumphum ante victoriā, immò victoriam ante certamen, canere, agedum in arenam descendamus ac rationibus decertemus.

Prima ratio.

Atq; vt inde proficiscatur disputatio nostra vnde hæc omnis controuersia ducitur, Poesis sine dubio est imitatio humanarum actionum: nam siue eas imitetur Poeta perinde ac gestæ sunt, ac veritatem sectetur, siue perinde ac geri debuerunt, ac sequatur verisimile, certum est Poetæ munus atque officium esse humanas actiones imitari. Denique (vt summatim dicam) Poetarum munus est homini pro vitæ varietate certas quasdam Ideas ac formas præscribere, & tanquam ante oculos ponere, vnde & mores componere possit & vitam instituere. Et hac de causa Comico, qui propter ridicula & iocos videri posset ab hac laude abesse, dum siue senes inducit, siue adolescentes, siue matronas, siue seruos aut populares alios, illud maximè spectandum est & enitendum, vt inter amores, risus,

riſus, ſuſpiciones, fraudes, iurgia, rixas, cautior quiſque euadat: vitæ officia perdiſcat: mores componat: deniq; vitam laudabiliter inſtituat ac fingat.

Quod ſi ita eſt, iam ſic pergo, ac rem omnem (ſic .n. diſputare lubet perſpicuitatis gratia) tali argumentatione concludo. Illud imitationis genus probandum eſt in Tragœdia & Comœdia quo optimè & opportunè valemus humanas actiones imitari: illud improbandum, quo illas minùs opportunè atque adeò præpoſterè imitamur. Sed in Comœdia & Tragœdia humanas actiones oratione ſoluta, rectè, carminibus adſtricta, minùs rectè, immo præpoſterè imitamur. Soluta itaq; oratio retinenda, adſtricta repudianda eſt.

Sed iam audire mihi videor aduerſarios huius ratiocinationis Propoſitionem non ægrè quin libentiſſimè nobis concedere. Aſſumptionem contra inficiari ac pernegare.

Ego verò Aſſumptionem ex dictis ſatis comprobare poſſum. Siquidem Poeſis eſt imitatio humanarum actionum vel prout geſtæ ſunt, vel certè prout geri debuerũt: quorum neutrum in Comœdia aut Tragœdia efficere po teſt imitatio adſtricta numeris. Etenim Reges, aulicos, ſenes, matronas, adoleſcentes, videmus quidem ac paſſim & vbiq; gentium videmus, ſoluta oratione loqui, ac quic quid dicendo agunt, id pedeſtri ſermone peragere, carmi nibus minimè. Et ſanè quis veriſimile illud iudicet, vt ganeo aut ſeruus, ſtolidus fingatur interdum, ebrius, ſtul tus, & tamen horas integras bonos elaboratoſq; verſus ſubitò & ex tempore fundat? An fortè ganeoni impuriſ ſimo & vinolento, aut ebrio ſeruo & ſtolido, id concedẽ dum eſt quod ne ſobrius quidem induſtriuſq; Pöeta con ſequi valeat? Minimè verò. Niſi fortè neſcio quem Anti patrum Sidonium ſeu Baccantes, hoc eſt mulieres dæmo ne correptas; aut Delphicum oraculum Delphiciq; ora culi adminiſtras quæ & ipſæ a dæmone agitarentur, proferre velis. Et tamen id totum apud verſificos Tragicos & Comicos in ſtolidis ſeruis, in iratis ac propè furentibus ſenibus, in imperitis meretriculis ac mulierculis, cer

nitur passim. Vt propterea non Naturam Ducem sequātur isti: non decorum ac verisimile tueantur: sed a Natura discedant: decorum perturbent ac verisimile. Contra verò qui solutæ orationi commendant fabulam, scopulos istos non euadant modò, sed Poematis decorum ac dignitatem magna cum laude custodiant ac tueantur.

Confirmatur proposita ratio. I. Sed iam date mihi obsecro hanc veniā, vt festiuè aliquid de ijs siue seruis siue mulierculis dicam, quæ cauea tota vagantur fundentes carmina. Etenim si quando audimus, aut etiam apud aliquem legimus, gymnastica exerceri mulieres, loricam induere & galeam, vibrare hastam aut vexillum extollere, ridemus sanè. quod si etiam conspicimus simium muliebri ornatum veste saltare ad tibiā, aut lanam colu ducere, ingentes edimus risus. Et quisquam erit qui aut non rideat sordidas lenas, vinolentos popinones, aut etiam montanos agricolas, agrestes satyros, quasi Thaliam aut Euterpem repente factos, theatrum carminibus personare, ac non vulgi solùm sed & doctissimorum virorum aures complere? Quanquam nescio Auditores, an apposite satis id expresserim quod sentio: quare simili rursus vtar, vt si quo modo possim, rem explicem accuratiùs.

Ergò si fortè in corniculam coruumue incidat quispiā suauissimum Lusciniæ aut Philomelæ cantum imitātem & exprimentem, num risum tenere possit? Haud equidē existimarim. At dum imperitus seruus ac rusticus, siue etiam meretricula ac muliercula, diem ferè totum fundit carmina, eaq; plerumq; elaborata & grauia, quid est hoc obsecro nisi coruum aut corniculam suauissimum ac modulatum Philomelæ aut Lusciniæ cantum exprimere & imitari?

II. Sed iocosa mittamus & redeamus ad seria. Porrò autē (vt ratiocinatione rursus vtar) Ars sine dubio imitatur Naturā: atq; idcirco Tragicus & Comicus quippe Artis administer, vbi fabulā ex veris seu verisimilibus actionib⁹ cōceperit animo, in actoribus inducendis Naturā debet pro virili parte imitari: hoc est enim verum sequi aut verisimile.

mile. at quis eum dixerit Naturam imitari, qui carminibus perpetuò colloquentes agentesque illos facit quos Natura è contrariò oratione soluta perpetuò ad loquendum & instruxit & inducit? profectò si Natura loqui posset, vel certè si Poetæ isti non illius vocibus obsurduissent, omnino didicissent, se id Natura repugnante facere & reclamante. Quanquam senserunt hoc illi quidem, ac proinde in varias sese torserunt partes: sed exitum, quoniam auribus seruire maximè, ac proinde carminibus agere, statuissent, inuenerunt nullum. Verùm hac de re paulò post.

III. Nunc simili (si placet) sententiam nostram confirmemus. Etenim certum est Pictorem quoque imitari, atque ita imitari, vt maxima illi cum poeta quasi coniunctio atque affinitas intercedat. Quod tum Aristoteles sæpè indicauit qui poetæ imitationem pictoris imitatione declarauit & illustrauit, tum Plutarchus magnus sanè author ac nobilis confirmauit cum diceret nil aliud esse picturã quàm tacẽtẽ poesim: poesim contra loquẽtem picturam. Quæ cum ita sint, videamus obsecro qua se gerat ratione pictor. Pictor equidem, si Ducem vestrum optimum Marinum Grimanum aut Senatorem aliquem rerum gestarum gloria florentem coloribus exprimat & imitetur, illud uel maximè secum ipse statuit; Naturam sequi, atque a naturali Ducis forma ne latum quidem unguem discedere. quin etiam vbi lineis, vmbris, coloribus, illius & vultum, & colorem, & habitum expresserit, illud indoleat quòd quem Duci optimo & sensum, & motum, & sermonem Natura seu Naturæ Artifex Deus tribuit, quam etiã intelligentiam prudentiamque largitus est, hæc verò exprimere atque imagini pulcherrimæ affingere nequeat. verè enim beatum se reputaret si spirantem illum, si celso illo ac pleno dignitatis incessu grandientem, si loquentem ac de Reip. commodis consultantem, exprimere posset. Et tamen erit qui affirmet Tragicum Poetam aut Comicum Naturam & sequi & imitari, qui actores carminibus dies totos inter se loquentes inducat, qui imperi-

tos

tos seruos, qui sordidas meretriculas, qui propè elingues mulierculas, iubeat Alcæos aut Sapphos, deniq; poetas aut decimam Musam, si Deo placet, repente factos, elaborata carmina ac sale urbanitateque plenissima pangere ac theatro toto personare ? Nam si fortè uersiloqui Tragici isti aut Comici suos se actores, nescio quo pacto, Baccãtium more inducant, qui videlicet non arte aut ingenio fundant carmina, sed afflati ac furore quodam correpti ac perciti, & summatim non Naturam sequantur Ducẽ, sed a dæmone instigentur ; ego sanè cum istis; quoniam fatentur tandem se Naturam nequaquam imitari ac sequi, nec proinde verisimile decorumue tueri, diutiùs haud disputo.

Quanquam quoniam eos mihi audire uideor constanter profiteri se non ad furorem afflatusque istos confugere hoc tempore, sed & Naturam & rectæ Tragœdiæ atque Comœdiæ leges sequi, pergendum est porrò, atque vter nostrum aberret, disceptandum examinandumque latiùs.

Secunda Ratio.

Et sanè dum ipse optarem aliquando eorum sententiam amplecti ac sequi qui Tragicam Comicamque fabulam carminibus illigari iubent, nouum sese mihi offerebat incommodum quo rursus non mediocriter afficerer ac perturbarer. At quale tandem incommodum narras? Illud Auditores, quo nescio an grauius alterum ac perniciosius in hac re possit accidere. Qui enim finis ac fructus in Comœdia atque Tragœdia propositus est, hoc suos illi Auditores frustantur statim atque defraudant. Finis n. Tragœdiæ Comœdiæq́ue propositus ille est, ut Auditores inde euadant cautiores, ac vitæ officia perdiscentes, componant mores, ac sibi, amicis, Patriæ denique vniuersæ prodesse valeant quam sanè vtilitatem carminum metricæq́ue imitationis obscuritate ac difficultate impediti consequi minimè valent Nam est quidem & Natura cõparatum & in more positum ut dies ferè totos interdum loquamur, sed pedestri sermone tamen : ut alios quoque dies horasue integras loquentes audiamus, sed soluta oratione

tione: ut plerique etiam cum abſentibus per literas dies noctéſque agamus, ſed quas tamen liberiore ſtylo exaremus non carminibus adſtricto. Ita fit ut ſi Comicum ſpectaculū detur aut Tragicū, ac ſoluta oratione detur, Ciues ac populares poſſint dictionē atq; ſententiā intelligere: inde fabulæ mores, hoc eſt actorū virtutes & vitia, magna ex parte animaduertere: peripetiam etiā ſeu fortunæ commutationem utcunque perſentire: denique ad componendos mores, ad uitam cautè prudenterque traducendam, ad familiam ipſam aut Remp. commodè utiliterque adminiſtrandam, inſtitui & erudiri. Quòd ſi carmine inter ſe actores illi agant, hoc eſt dicendi genere auditoribus planè inſueto inſolentique utantur; optandum magis eſt quàm ſperandum vt Auditores inde propoſitam vtilitatem fructumq; percipiant. cum enim carmen tum per ſe tum propter inſolentiam ſit ad intelligendum perdifficile, fit ſanè vt populus non modò vniuerſam fabulæ ſtructuram & conſtitutionem aut etiam effictos mores peripetiamue non percipiat animo, ſed ne ſententiam quidem atque dictionem: præſertim in tranſcurſu illo carminum & quaſi fluxu, in quo vix eruditiſſimi & ſcenicis auditionibus exercitatiſſimi, quin ne eruditiſſimi quidem interdum, valent rem intelligere vniuerſam. Ita fit vt non modò vitæ præcepta non hauriant Ciues ac populares, aut mores componant, ſed ne vllam quidem virtutis vmbram agnoſcant ac ſentiant.

Tertia Ratio

Quanquam dum rem mecum attentiùs adhuc reputo Auditores, aliud etiam accidit incommodum, quo Naturæ inſtitutum ac finis magis adhuc magiſq; peruertitur. Etenim honeſta vtilitas (quod nos ſuo loco docebimus copiosè) non voluptas eſt germanus finis ac proprius Comicæ aut Tragicæ imitationis. Voluptas enim in Tragœdia & Comœdia eo conſilio quæſita & comparata eſt, vt quoniam nuda vitæ præcepta philoſophicæ ſeueritati admiſta difficilè excipiuntur a popularibus aut ſuſtinentur, voluptate quadam ac iucunditate tanquam ſale condiantur ac temperentur. Nam quemadmodum præ-

clarè

clarè differit Plutarchus, philoſophica præcepta quo minùs philoſophicè dicta videntur, eò alacriùs audiuntur, excipiuntur, imbibuntur. Sic ſanè bonus Comicus & Tragicus periti inſtar Medici qui Pharmaci amaritudinem dulci temperat, ac faſtidioſum ægroti palatum fallit, vitæ officia atq; præcepta voluptate condit ac temperat, vt vulgi palatum quaſi nauſeantem fallens, vtilitatem illi cum ſuauitate propinet.

Quod ſi ita eſt, ſine dubio Naturæ inſtitutum, ac finē Tragico & Comico propoſitum, peruertunt ij qui voluptatem in finis loco ſtatuunt non vtilitatem. Et tamen hoc ipſum eſt quod ſi non verbis, re tamen ipſa, moliuntur ac factitant qui carmine Tragœdias Comœdiaſq; conſcribunt. Dum enim toti ſunt in carminibus elaborandis, ac non vno carminis genere aut eadem pedum varietate contenti, trimetris Iambos, Iambis, qui ne illi quidem vnius ſunt generis ſed longè varij, trochaicos interdum, trochaicis dimetros aut Coriābos permiſcent, quin coturnos etiam & ſoccos, ſæpe etiam tibias tum breues tum oblongas, dextras quoque atq; ſiniſtras, proferunt, ſaltatores etiam quin & Citharœdos adhibent metro, ac ſummatim omnes rythmi hamoniæq; varietatem ſuis carminibus adiungunt, quid eſt hoc aliud, Auditores, quā cuncta ferè aurium iucunditate metiri atq; ad voluptatē referre omnia?

Quarta Ratio, quę quatuor aduerſarijs theoremata ponit explicanda in præſenti controuerſia. I.

Sed quoniam optarim, Auditores, vt rem hanc vniuerſam faciliùs ſentiant aduerſarij, vel ſi ſentiunt, ſine tergiuerſatione id quod eſt fateantur, lubet pauca quædam ex illis percunctari quibus veritatem ab eis velint nolint extorqueam. Ac primùm ſanè, quoniam iambum maximè probant in Tragœdia & Comœdia, atq; hoc metri genus præ cæteris idoneum eſſe dictitant, quod Tragicæ & Comicæ imitationi adhibeatur, illud ab eis & requiro, & vt explicent flagito. cur videlicet factum ſit vt Iambus ad maledicentiam dicatur tum ab authore ille ſuo inuentus (nam inde etiam nomen inuenit, cum *ἰαμβίζειν* ſit conuiciari ac maledicere) tum a priſcis rurſus vſurpatus

atq;

atq; retentius; & tamen non ad maledicentiam solùm verùm etiam ad laudem, ad risus, ad amores, ad lacrymas, ad misericordiam, uno verbo, ad mores affectionesque omnes exprimendas a Tragicis & Comicis referatur? Nam Comœdiam & Tragœdiam omnibus hominum affectionibus ac moribus variandam esse (vt scilicet deterioribus perpugetur homo, potioribus exornetur) nemo, vt opinor, inficiabitur. certè si iambus ad maledicentiã est comparatus, atq; ita etiam comparatus, vt ad hanc, quod contendunt ac docent aliqui, uim quandam insitam habeat & veluti ingeneratam, atque idcirco in hostem stringi iubent ac vibrari tanquam iacula; mirum est tam licenter ac facilè à Tragicis & Comicis, sed in primis a Comicis, omnibus affectionibus ac moribus, præsertim verò ijs qui cum maledicentia pugnant, exprimendis vsurpari. Hoc igitur optarim ut primo loco explicent aduersarij. Alterum est, qui non isti pulcherrimum illud & celeberrimum præceptum violent quod de Comœdia & Tragœdia proditum ac peruulgatum, a M. Tullio manasse dicitur: si enim turpe est Tragicum in Comœdia, turpe Comicum in Tragœdia, cur obsecro vnum idemq; carminis genus in Tragœdia arripiunt & Comœdia? An fortè illud cautum putant a M. Tullio ne soccos Tragœdiæ, Cothurnos Comœdiæ, adhibeamus? aut ne Tragicas vestes Tragicamue Scenam aut Apparatum in Comœdia, aut Comica in Tragœdia vsurpemus? minimè verò: hoc enim notius erat omnibus quàm vt grauissimo Ciceronis præcepto indigeret. de stylo igitur pronunciatum est. vt propterea, quoniam stylus dictione atq; sententia continetur maximè, videndum sit quo pacto non peccent isti dum vtriusq; Poematis dictioné atq; sententiam vno eodemque carminis genere conflãt, hoc est Iambo. quæ res eò magis vitiosa videri posset, quòd cum dictio ac stylus pro argumenti ratione ac varietate variandus sit, Tragœdia & Comœdia quæ longè dispares atq; adeò contrarias imitantur actiones, longè varium atq; adeò contrarium stylum desiderant. Nam

vno eodemq; carminis genere retento, hoc est iambo, stylum adhuc pro dignitate variari posse, ac res penitus dissidentes aptè ijsdem planè metris illigari, dici facilè potuit, effici atq; præstari, minimè. Certè quemadmodú Epicum poema, quoniam imitatur ac refert Heroica facta, nec nisi heroicum sibi asciscit carmen, hoc est grauissimum & nobilissimum, nec nisi abiectè ac turpiter iambo vteretur; ita etiam Tragœdia ad Comicum carmen parum fœliciter diuertat necesse est. Tertium verò illud
III. est, quid causæ sit cur Iambus tam apud Græcos quàm apud Latinos Proteus quidam semper fuerit: neq; enim vnam eandemq; formam retulit vnquam, sed continenter vultum mutauit ac speciem. Quapropter non modò Pindarus cum alijs de Iambo non consentit (nam hac de causa illud de Pindaro cecinit Horatius,

Verba deuoluit numerisq; fertur
Lege solutis :)

Sed Anacreon a Pindaro, ab Anacreonte Alcmæon, ab Alcmæone Simonides, a Simonide Bacchilides, ab ijs subinde Saphus, Alcæus, Stesichorus alijq; multi (inter quos & Aristophanem & τραγικωτάτους etiam, Euripidem, Sophoclem, Æschylum, numeres licet) diffideant ac discrepent. Id quod in Latinis quoq; siue Tragicis siue Comicis obseruare licet, dum sua quemq; Iambi delectat forma: hac enim de causa pleriq; omnes vitiasse dicuntur Iambos. Terentius etiam a quibusdam in arcanis sua ille habere dicitur metra. Nam de nostratibus dum vernacula scribunt lingua, nihil attinet dicere: cum enim ij partim eosdem Tragœdiæ Comœdiæq; versus adhibeant quibus Heroica poemata (quacunq; tandem illos misceãt ac vinciant ratione) pangere solent; partim decurtatos quosdam ac mancos, qui ne dimidiam quidem, immo tertiam ægrè, interdum etiam vix quartam, Iambi æquant partem, quos proferre Iambos possint, aut quam Iambi imaginem, ne dicam vmbram, consectentur, equidem nó
IV. intelligo. Postremum, quid est quod M. Tullius inter cætera quæ in Oratore desiderat, Tragœdorum vocem desiderat. an fortè Reges, aulici, regiæq; fœminæ, quos

omnes imitantur Tragœdi, voces attollere altiùs solent quàm cæteri? minimè verò: hoc enim agrestium est hominum, agricolarum, pastorum, bubulcorum. Quapropter sentio quidem cur idem M. Tullius in suo Oratore Iurisconsultorum memoriam, atq; alia huiusmodi quædam requirat, verùm cur Tragœdorum optet vocé, nisi fateamur hac in re, quin in superioribus etiam, Tragicos & Comicos non tam verisimili ac decoro seruire quàm vulgi auribus ac voluptati, non satis video. Hæc inquam, quoniam videor mihi æquissima postulare, vt explicent & peto & rogo.

Sed quid tu in eiusmodi postulationibus ac theoremaPropostis nos diutiùs hærentes habes ac torques? cur non ea nobis ipsemet fideliter explicas? Ergo quoniam sic iubetis, explicabo. Sic igitur habetote. Priscos illos Tragœdiæ & Comœdiæ siue authores siue propagatores, paucissimis admodum exceptis, non tam honestæ vtilitatis rationem habuisse, quàm aurium voluptatis, popularis plausus, quæstus: nec tam verisimile spectasse, decorum, dignitatem, quàm vt intemperantissimo populo satisfacerent. *Proposita theoremata explicantur & in aduersarios vrgentur omnia.*

Comœdiam proinde ad maledicentiam componebãt, ad luxum, ad risum, ad lasciuiam: Tragœdiam verò ad fletum, ad sæuitiam, ad horrorem & admirationem: vtranque ad popularem plausum, vt dicebam, & quæstum. Nec mirum. nam præterquamquod vix ac ne vix quidem aliter impuras vulgi aures impleuissent, seruili pleriq; ingenio erant & illiberales. nam Liuius Andronicus, qui primus Romæ fabulam dedisse ac Tragœdias Comœdiasque scripsisse fertur, & Liuii Salinatoris, a quo etiam nomen accepit libertus, mancipium fuit, & gesticulator ac mimus. Vt non mirum sit Ciceronem illud de egregio hoc poeta scriptum reliquisse, huius poemata indigna esse quæ bis legantur. De Ennio verò qui Andronicum proximè est consecutus, nihil attinet dicere; cum satis constet Catonem virum optimum & integerrimum, vt probrum obiecisse M. Nobiliori, quòd discedens in prouinciam Ennium duxisset. Deniq; quoniam longum esset

insistere in omnibus, Cæcilius fuit Ennii contubernalis: Pacuuius Ennij ex sorore nepos: Accius libertinis ortus parentibus: Neuius ad scurriles iocos & maledicentiam, vnde etiam in carcerem detrusus, ibi magnam vitæ partem exegit, fictus ac narus: Plautus sordidissimis artibus victitans, sed inprimis ad quæstum compositus totus, ita vt de illo cecinerit Horatius.

Aspice Plautus
Quàm non adstricto percurrat pulpita socco:
Gestit enim numum in loculo dimittere, post hac
Securus cadat an recto stet fabula talo.

vt propterea vnus Terentius, qui ne ipse quidem temperantissimus fuit, ex aliorum intemperantia, aliquam moderationis ac temperantiæ laudem sit consecutus. Aristophanem verò ac Græcos fermè omnes vsq; adeò perspicuum est aurium voluptati intemperantiùs seruisse, vt superuacaneum sit hoc commemorare. quò enim spectabat obsecro saltatores ac gesticulatores, Tragœdijs Comœdijsue adhibere? quo soccos, cothurnos, tibias, citharas, choros, agonistasq; proferre? quo vultum linire fece, aut larua tegere, deniq; iambos quotidie, rythmos, harmonias, histriones, vestes, nouare, inuertere, variare? Vt minimè mirum videri debeat Platonem qui adolescẽs more maiorum Tragœdias conscripsisset, virum factum, igne illas emendasse. Nam quod iambos non tam ad lasciuiam interdum voluptatemque nouarint, quàm ut experirentur vtrum aliquod tãdem iambi metri ue genus fingi posset vnde & faciliùs intelligerentur, & verisimile decorumque tuerentur; id verò quoniam a grauissimis authoribus scriptum video, non sanè pernegarim. Hæc enim spectat Terentiani veteris authoris illud,

Culpatur autem versus in Tragœdijs:
Et rarus intrat ex iambis omnibus:
Sed qui pedestres fabulas socco premunt,
Vt quæ loquuntur, sumpta de vita putes,
Vitiant Iambum tractibus spondaicis,
Et in seiuncto & cæteris æquè locis:

Fidemq;

Videmq; fictis dum procurant fabulis,
In metra peccant arte non inscitia.

huc etiam spectat Aftonius, dum *Comici*(inquit) *loca illa quæ debebantur iambo, dactilis occupant pedibus, dum quotidianum sermonem imitari volunt, & a verificationis obseruatione spectatorem ad actum rei conuertere, vt non fictis sed veris affectionibus inesse videantur.* Huc denique alia multa quibus totam illam iamborum metrorumque siue varietatē siue confusionem vel explicant vel excusant prisci interpretes; præsertim dum in Terentio iambos tandē ac metra vniuersa veterum faciem ferè penitùs abiecisse sentiunt. verùm cum id poetis illis non succederet è sententia, ac longa illa metrorum commutatione & varietate nihil proficerent, cur obsecro non ad solutam orationem confugiebant quam vnam auditorum intelligentiæ, fabulæque verisimili, decoro, dignitati custodiendæ, aptissimam esse satis superque animaduertebant? ne scilicet suas illi tibias, citharas, saltationes ac sexcenta voluptatis instrumenta & machinas quibus & plausus & quæstum captabant interim, abijcere cogerentur.

Quæ cum ita sint, iam non difficile erit proposita theoremata explicare, simulq; in controuersia hac nostra aduersariam sententiam euertere funditus. Ac primùm quidem(vt inde exordiar) quid mirum si M. Tullius Tragœdorum vocem requireret in suo Oratore? Tragici .n. illi quippe qui non tam decorum ac dignitatem quàm plausus & quæstum spectabant, vt ingenti cauea theatroue toto audirentur cantus & metra, non Tragœdos illos deligebant qui decenter & decorè agerent, sed qui altiùs clamarent & canerent. Ita demum dum ij actores adhiberentur scenæ qui maximè vocales essent, Tragœdorum vocem in suo ille Oratore desiderabat M. Tullius. Quod enim non sine decori perturbatione factitabant illi vt contentissimis eos vocibus imitarentur qui moderatis plerunque, interdum etiam mollibus, loquerentur; decoro retento & conseruato facere Orator poterat. Hic enim, quoniam non alios imitatur, potest & verò debet

debet vocem pro opportunitate quemadmodum inflecte re & uariare (tot enim ſunt uocis mutationes quot animorum) ſic attollere ac ueluti in omnem partem explicare. Subſellia nanque grandiorem (ut idem monebat Cicero) & pleniorem uocem deſiderant. Iam uerò cũ Comici ab initio ad conuicia & maledicentiam referrent Comœdiam,atque hac etiam de cauſa fece ſuum illi uultum linirent & occultarent qui de plauſtro probra funderent & maledicta, non ineptè(tametſi iniquè omnino) iambos delegerunt: præſertim uerò quia non tam alios loquentes imitabantur (huic enim rei carmen minùs idoneum fuiſſet) quàm in obuios quoſque falsò plerunque ac per ſummam iniuriam, probra, ſatyrico more modoque, iaciebant. Verùm cum paulò poſt Comœdiã, ut odioſior euaſerat, ad riſum amoreſque & iocos conuertiſſent, iambum de more retinuerunt: ſed ineptè tamen & infœliciter: nam præterquamquod non idem carmen in amores & iocos aptè cadere poterat quod conuicij proprium erat & maledicti, Comœdiam interim imitatione concludebant a qua iambus liber antea fuerat. Ita factum eſt ut Iambus ad imitanda popularium colloquia, quoniam hæc pedeſtri oratione haberentur, minùs idoneum euaſerit; cum tamen probris in obuios iaciendis (id enim imitationem haud requirebat) eſſet aptiſſimus. Neque uerò multò aliter contigit Tragicis: ij enim tametſi illuſtres actiones complecterentur, atque hymnographos Epicoſque conſectari uiderentur, ueterum ψιλομετρίᾳ fermè nudiſue contenti carminibus, ueruntamen paulò poſt iambum, & cum iambo ſaltationem, cantum, ſonũ, cæteras denique delicias illas aſciuerunt quas paulò ante enumerabam. ita factum eſt ut turpiter nec ſine ingenti decori perturbatione Comicum (ſi Comicum eſt id appellandum quod a Comico etiam indecorè uſurpatur) in Tragœdia deprehendatur paſſim. Et quamuis ſuum illi iambum ſic interdum intenderent, ut atrociter canere, magnificentiſſimis uerbis atque adeò turgidis loqui, & cum dirytambicis quos ſectati fuerant antea, ampullas &

ſeſqui-

ſeſquipedalia ucrba fundere., denique τὰ πάθη potiùs quàm τὰ ἤθη exprimere, uno uerbo, furere quodammodo dicerentur(nam inde etiam manauit prouerbium.

ἢ χρὴ τραγῳδεῖν πάντας ἢ μελαγχολᾶν,

Aut Tragœdias agere oportet aut furere.)

veruntamen non idcirco aut non perturbarunt decorum, aut non ſæpiſſimè deprehenduntur Comicum vſurpaſſe. Sunt enim innumera quibus Comicè planè loquuntur, quin interdum laxiores iambos fundunt: vſque adeò difficile eſt continuatam illam verborum ſententiarumue granditatẽ ſiue conſeruare ſiue cum auditorum intelligẽtia vel minimùm coniugere. Quid plura? quò magis cothurnum attollunt Tragici & a Comico recedunt charactere, eò magis veriſimile decorumque perturbant: nam ſi regias fœminas, aulicos, Tragicos denique actores, ne quaternos quidem ternoſue continenter iambos, quantumuis temperatos aut laxos, in quotidianis colloquijs efferre veriſimile eſt, quanto minùs veriſimile eſt virilibus iambis, magnificis, turgidis, ſeſquipedalibus, operoſis, dies horaſue integras canere? Quam culpam (mihi credite) & Tragici & Comici non ſanè iambum, quaſi Proteum, immutantes ſemper, effugient vnquam: ſed tum demum effugient ac fœliciter declinabunt, cum honeſtã ſibi auditorum voluptatem vtilitatemque in primis proponentes, ſolutam orationem amplectentur. Sic enim & ſtylum, quoniam tripartitum nobis dicendi genus, ſummum videlicet, infimum, & mediocre, in ſoluta oratione occurrit, atque ita occurrit vt ab oratoria dictione etiam verbis, ſententijs, numeris, deflectere liceat, ſuæ quiſque imitationi ac fabulæ accõmodatum ſeligere poterit: actiones veriſimiliter, decorè, & cum dignitate exprimere, & ab omnibus (quod rem maximè continet) intelligenter & magna cum vtilitate, cum plauſu etiam, vbi ſuis facetijs ac ſalibus, & vno verbo poeticis condimentis reſpergatur fabula, excipi & audiri.

SED quoniam ſententiam noſtram pro temporis anguſtijs comprobaui ſatis & confirmaui, iam illud ſupereſt,

vt

vt aduerſarijs rationibus reſpondeam. Id quod eò etiã libentiùs faciã quia dum eiuſmodi rationes refutabimus, ſententia noſtra magis adhuc magiſque illuſtrabitur.

Quib' maximè argumentis vtantur aduerſarij, atq; ea in ſola inniti authoritate.

Quanquam (vt verè fatear) Aduerſarij (ſi tamen aduerſarij appellandi ſunt ij quos ego pro neceſſitudine noſtra dilexi ſemper & colui) non tam in rationibus videntur niti quàm authoritate. Etenim Franciſcus Patricius qui ſine dubio hac in re cæterorum coryphæus haberi poteſt ac princeps, ſic diſputat, vt vna veterum authoritate certer. Quapropter Platonem primùm & Ariſtotelem, tum Dyonisium Alicarnaſſæum, Hermogenem, Euſtathium profert qui metrica comprehenſione poemata omnino concludi velint. Mox verò docet (ſi tamen docet) ſexcentis circiter annis apud Græcos poemata tractata fuiſſe ac magna cum laude tractata: & tamen fuiſſe neminẽ qui niſi carminibus ea conſcripſerit ac metris. quibus omnibus M.Tullium adduntalij, quaſi eandem ſententiam pro latinis omnibus confirmauerit luculentè. Ita fit vt ex his omnibus eam rationem quæ tamen in authoritate tandem deliteſcit ac nititur vniuerſa, tanquam machinam conflent aliqui. nimirum inter Græcos poetas, atque adeò inter ſummos doctrinarum omnium magiſtros, neminem tam longo ſeculorum decurſu inuentũ eſſe qui ſolutam orationem poematis adhibuerit, ſed ne hanc quidem carminum vinculis tentauerit ſoluere: id igitur ſine crimine fieri non poſſe. Sic iſti. quibus ego antequam Diſputationem hanc concludam, ſatisfacere non grauabor. Etſi enim optarim rem non tam authoritate quàm rationum momentis expendi, veruntamen ne vnum iſtud perfugium ac propugnaculum aduerſarijs relinquam, hoc quoque ad extremum aggrediar, & (niſi me ſpes fallit) expugnabo.

Rationes quæ pro aduerſarijs videntur afferri poſſe & proponuntur & diluuntur.

Interim authoritate tantiſper miſſa rationes quaſdam pro metrica imitatione afferre lubet, dum enim rem hanc vniuerſam mecum ipſe expenderem ac meditarer, varia ſeſe mihi obtulerunt argumenta, quibus non incommodè fortaſſe vti poſſent aduerſarij ad labefactandam atque

adeò

adeò euertendam sententiam nostram, suam verò confirmandam altiùs.

Ac primùm quidem Tragica Comicaue dictio atque sententia (inquient isti) sine dubio suauitate quadam condienda est ac voluptate. at voluptas carmine conciliatur & paritur. cur itaque oratione soluta potiùs vtemur quàm certis numeris carminibusque adstrictæ certè qui non sentit solutæ orationis suauitatem exiguam esse si cum metrica conferatur, atque adeò multis partibus superari, is a Musis alienissimus censendus est. Ego verò è contrariò sic respondeo. Tragicam & Comicam dictionem voluptate esse condiendam, non modò fateor, sed profiteor: quin hoc ipsum paulò ante copiosè docui & confirmaui. veruntamen fabula fabulæque suauitas illa est qua Comicam Tragicamque imitationem condiri iubet Natura, ac præceptorum amaritudinem acrimoniamque temperari, non carminibus ac metris: tantum abest vt velit carminibus tibias, tibijs fides, fidibus saltationem, atque omnem denique rythmi concentusque & harmoniæ varietatem adiungi qua solæ aures capiantur. Quod dum nouo quodam dicendi genere ostendo, vos quæso Auditores diligenter attendite. *Prima Ratio.* *Diluitur.*

Diffidebat aliquando (si Liuio vestro creditis) Romana plebs a Senatu, atque ita diffidebat, vt secessione facta, iam rueret ad arma, iam sacrum montem conscenderet vt Ducem crearet, armisque repeteret libertatem. Cum ecce tibi Menenius Agrippa vir facundus, sed vrbanus inprimis & perfacetus, submissus a Senatu ad plebem, atque a plebe intromissus in castra, fabellam excogitat & commentatur qua iratam plebem compescat. sed qua tandem ratione excogitatam expromit fabulam? quibus exornat aut illustrat luminibus? num fortè carminum aut melodiæ suauitate? minimè gentium: immo verò concentu posthabito & carmine, prisco illo & horrido dicendi modo, hoc est Auditoribus illis perquam accommodato, sic fermè illos alloquitur. QVO tempore in homine corporis membra, non vt nunc, omnia in vnũ

C consen-

consensirent, sed suum cuique consilium, suus sermo esset, indignatæ sunt partes reliquæ, sua cura, suo labore, ac ministerio ventri omnia quæri: ad ventrem omnia transfundi: ventrem in medio quietũ, nihil aliud quàm datis epulis ac voluptatibus frui: conspirarunt proinde inter se membra omnia in ventris perniciẽ, statueruntque vt nec manus ad os cibum ferrent, nec os acciperet datum, nec dentes conficerent, nec palatus gutturue deferret, quò voracissimum helluonem (sic enim appellabant ventrem) inedia excruciarent atque perimerent: sed ecce tibi dum ventrem siti ac fame perdomare nituntur, manus quoque ipsæ, guttur, vultus, membra denique omnia vnà cum ventre miserè affliɛtantur, ac sensim ad extremam tabem veniunt. Tum demum membris istis apparuit, ventris quoque haud segne ministerium esse, nec magis ali quàm alere: cum cibum corpori vniuerso concoquat, vt is tandem quo viuimus vigemusque sanguis, in omnes corporis partes reddatur ac deriuetur Sed quorsum Agrippa? quorsum: vt nimirum intelligatis Senatum ventrem esse, vos membra reliqua: Senatum vestras operas quasi acceptum a vobis cibum vobis coquere ac dispensare: denique pro salute vestra dies noctesque laborare. Quod si vos a Senatu diffidentes, quam soletis operam illi nauare destiteritis, atque adeò cum illo altercari cœperitis ac depugnare, quid aliud obsecro superest nisi vt vos vnà cum Senatu, quasi cum ventre, tandem aliquando fame, siti, inedia, macie, tabescatis? Hæc & huiusmod alia Menenius Agrippa. Ita factum est vt eleganti fabula iratam plebem atque furentem ad moderationẽ, ad pacem & concordiam reuocarit. Certè si fabulam carminibus illigasset, ac delicijs illis Tragicorum & Comicorum temperasset, quibus non tam animi quàm aures mulcentur & capiuntur, (mihi credite) nihil penitus profecisset, sed re infecta discedens, mox cruentam ignam, facilè etiam extremam Patriæ cladem, inexisset.

Verùm quid Latinorum fabulam commemoro, Græcorum,

corum, quorum authoritate niti videntur isti, prætereo? Capitali odio dissidebant Athenis aliquando Ciues vniuersi, iamque in Senatum ac forum quasi certaturi conuenerant: iam furore & quasi œstro perciti ruebant ad perniciem. Cum ecce tibi suggestum conscendit ex ciuibus vnus, prudens ille quidem & in dicendo suauis, sed vsque adeò obesus & pinguis vt monstri similis videretur. Quid multa? vix conspectus est a Patribus ac populo vt inter iras risum excitauerit magnum. Tum ille: quid est (inquit) quod ridetis? An fortè quòd me supra mortales propè omnes obesum ac pinguem inspicitis? Annuentibus ijs, continuò ille fabella excogitata, Ego verò (inquit) Athenienses, etsi obesus & pinguis ad miraculum videri possum, vxorem tamen habeo quæ me pinguedine ac corporis hebetudine longè superat. Ingeminant illi risum; ita vt mœnia ipsa risum edere viderentur. Tum ille vbi risum tantisper sedatum videt, Me (inquit) vxoremque meam obesos quamuis & pingues, dũ concordes viuimus, vna domus capit, vnum cubiculum, vnus lectulus in quo concordissimè requiescimus. Quod si quando dissidemus atque contendimus, nec lectus capit ambos, nec cubiculum, nec domus, quin ne vna quidem Vrbs aut Regio: vsque adeò exitialis est irarum furorisq; nostri rabies. Quod si hoc inter virum vnum & mulierculam accidit, quid futurum putatis Athenienses, si Senatus ac populus vniuersus dissideat, ac dissidij incitatus furore ac rabie, ad arma conuolet? non Curia (mihi credite) non forum, non templa, non Vrbis mœnia, non Atheniensis Regio vniuersa vos cohibebit aut prohibebit quominus ad interitum perniciemque ruatis. His atque huiusmodi alijs, quasi fabula data, sic dissidentiũ iras compescuit ac mitigauit, vt odijs dissensionibusque depositis in gratiam redierint statim. Hac ratione conditas fabulas (etsi Tragica & Comica ex angusto quasi cãpo in ampliorem est reuocanda) deposcit Natura, quibus non minùs intelligenter quàm suauiter agas, nec minùs dilucidè & aperte, salsè etiam atque facetè, in Audi

torum animos illabatur oratio, quàm dulcis verborum sonus aut cantus permulceat aures; aurium enim voluptas non cibi habenda est loco sed condimenti: contra verò honesta vtilitas non condimentum esse debet sed cibus. Vt propterea sit quidem suauitate quadam condienda Comica & Tragica actio, sed non carmine, non fidibus, non tibijs, non saltatione, non elaboratis rythmis & harmonijs, sed fabula ac fabulæ ipsius vrbanitate, salibus, perspicuitate, iucunditate: quantum enim valent illa ad mulcendas aures, tantum hæc animis mitigandis atque ad omnem virtutem impellendis virium ac ponderis habent.

Secunda ratio, quæ est tripartita.

Sed iam intueri mihi videor aduersarios, tametsi superioribus argumentis debilitatos ac penè fractos, in nouũ se propugnaculum recipere, immo pugnam instaurare, atque in nos acutissima quasi tela vibrare ac fundere.

Prima pars quæ pertinet ad Heroicũ poema.

Etenim si, quoniam homines soluta oratione loquuntur non carmine, Tragœdia & Comœdia non carmine sed soluta oratione scribenda aut recitanda est; Heroicum quoque poema soluta oratione scribendum erit non carmine. Quis enim nesciat illud quoque genus hominum quos hexametris versibus loquentes facit Epicus, reuera non versu sed soluta oratione loqui consueuisse? ita demum verisimile atque decorum non minùs in Heroico poemate quàm in Comico aut Tragico, perturbaretur. Quo sanè fit, vt ne poetæ quidem facilè sit permittendum, vt dum ipse loquitur, carmine potiùs quàm soluta oratione loquatur: alioquin, dum ipsemet aliorum sæpe dicta carminibus diligenter prosequitur, verisimile ac decorum euerteret. Et tamen frigidum omnino commentum esset ac dictu perridiculum, Heroicum poema pedestri oratione & stylo scribendum esse.

Secunda, quæ pertinet ad Lyricum.

Quid? nonne Lyrica poemata eodem penè iure ruerent omnia? cum enim Lyrici Poetæ ipsi quoque videri velint Naturam sequi, ac tanquam è re nata loqui, & (vno verbo) omnem cupiant artificij suspicionem declinare; videri quoque cupiunt subitò & ex tempore loqui: atque hac de causa

ſe interdum ab Appolline & Muſis de repente afflatos ac veluti furore percitos fingunt. Hi igitur non minùs quàm Comici aut Tragici, ſi veriſimile ac decorum tueri velint, carmen abijciant neceſſe eſt. Sic ſanè Satira corruet, Elegia, Ode, cuius infinita propemodum eſt varietas; & Epigramma: quin ne diſtichon quidem conſiſtet aut hemiſtichion. Sed & tua vel potiùs Ariſtotelis Poetica concideret ſtatim & euaneſceret. Qui enim fie ri poteſt vt exploſo carmine, poetica facultas retineatur? aut quid eſt quod ars retineatur, vſu exploſo opereque interempto? Ita demum tibi etiam ac nobis tecum conclamanda erunt colligendaq; vaſa, niſi aliud nobis doctrinæ genus ſuſceperis explicandum. Denique illud vnum ſupererit afflictis rebus noſtris; vt ſcilicet ingẽtem pyram ac rogum excitemus, vnde igne tum poematis omnibus, tum poeticæ metricæque facultati vniuerſæ funebrem pompam ac funeſtiſſimas exequias perſoluamus.

Poſtrema quæ pertinet ad poeticam facultatem.

Sed fauſta verba quæſo Auditores: faceſſant querelæ longiùs: modus ſit quærimonijs: meliora ac lætiora ominemur. Etenim benè iuuante Deo & Heroicum carmẽ, hoc eſt, ſi Platonem ſequimur, Poema omnium præſtantiſſimum, & Lyrica poemata, quorum ingens & ſplendor eſt & varietas, conſeruabimus: & cum ijs omnibus tum pulcherrimum hoc Ariſtotelis monumentum, tum nobilem vigiliarum mearum induſtriæque veſtræ campũ tuebimur. Sed quid dico tuebimur? immo verò illius fines longiùs adhuc ac latiùs dilatabimus. Ita demũ non pyra opus erit, qua metris, poematis ac poeticæ funeſtam pompam iuſtaque perſoluamus, ſed potiùs vt nouis poeticæ quaſi colonis iura legẽſque præſcribamus. Sed iam (ſi placet) ad rem accedamus propiùs.

Diluitur ac primũ quod pertinet ad Lyricum poem.

Ergo Lyrica poemata ea de cauſa vnà cum carmine retinenda erunt quia non neceſſariò dramatica ſunt, non ſcenæ ſeruiunt atque theatro. hinc enim fit vt cum non tumultuarij congreſſus exprimendi ſint, aut ſubita collo quia, ſine vlla decori aut veriſimilis perturbatione poſſit Lyricus poeta accurata meditatione vti, elaborata funde-

ce carmina, ac proinde ſuauia, erudita, grauia, venuſtatis denique dignitatiſque pleniſſima; id quod Tragico non licet aut Comico: qui, vt Tragœdi aut Comœdi ex tempore in congreſſus venire debent & colloquia, profectò vt veriſimili ſeruiant, non carmine, quod meditationem induſtriamque requirit, ſed ſoluta oratione colloqui debent.

Et quamuis non negarim Lyrico quoque peruidendum eſſe ne artificium oſtentet, aut nimiam affectatamque præſeferat induſtriam, ſed enitendum vt Naturam ſequatur Ducem, veruntamen aliud eſt nimium artificiũ artificijque ſuſpicioné declinare, ac Naturã ſequi, aliud ex tempore loqui ac ſubitò. Quare quemadmodum non facilè ſuſtinemus ut Orator artem oſtentet; nec tamen prohibemus quominus paratus ad dicendum accedat; ita etiam nimiam lyrici poetæ induſtriam, oſtentationẽq; reprehendimus; vt meditatus tamen ſcribat non modò nó reprehendimus ſed laudamus.

Diluitur quod attinet ad Heroicum.

Quæ cum ita ſint, iam non ægrè quin commodè Heroicum quoque poema retinebitur. ſiquidem nec dramaticum eſt Heroicum poema aut theatro ſeruit ac Scenæ: nec ſubitò ſua carmina fundit Epicus, aut popularibus canit & vulgo: quin per ocium lectitatur & expenditur, & a uiris induſtriis & nauis expenditur. Epicus enim re vera non omnibus canit, ſed ſibi & Muſis, hoc eſt iis qui liberalibus diſciplinis egregiè inſtructi ſunt. Ita fit ut Heroicum poema, etſi operoſum, graue, doctum, magnificũ, admirabile, denique maxima elaboratum induſtria, cum ueriſimile decorumue retinere posſit, tum verò ab eruditis viris intelligi. Quod de Tragico & Comico poemate, ſi carminibus perſtringatur, vix ac ne vix quidem ſperandum eſt, dum a Ciuibus ac populo vix in tranſcurſu audiri ſolet.

At enim ſit iſtud in Heroico poemate dum Poeta ipſe loquitur: ſit inquam vt ipſemet cogitatò loqui posſit & paratus, ac nobiles proinde verſus fundere, nec propterea decorum perturbetur; at quid demum dum alios lo-

quentes

quentes facit: ac milites,consiliarios, Duces, seruos inducit? profectò cum hos de repente inter se loquentes faciat ac subitò,& operosissimis carminibus loquentes; verisimile ac decorum,ac proinde poematis dignitas, longiùs quàm in Tragœdia aut Comœdia violabitur. præsertim verò si (quod Aristoteles scriptum reliquit) tunc magis perfectum est Epicum poema ac suis absolutum numeris,cum Poeta rarò,cæteri frequenter loquuntur. Sic .n. fiet, vt verisimile ac decorum in Epico poemate rarò conseruetur,violetur frequenter. Acutè.Sed quàm verè,iam iam videbimus. Porrò autem nolim ego hoc tempore Aristotelicum decretum istud disceptare, an scilicet eò illustrius ac nobilius euadat Heroicum poema, quo rariùs loquitur poeta,frequentiùs cæteri.tametsi illud non reticebo Platoni contra probari magis vt poeta frequentiùs ac longiùs loquatur,perrarò cæteri. quin etiam in Iliade quæ & ipsa ab Aristotele summis laudibus effertur, & in perfectæ Ideæ loco habetur,longè frequentiùs poèta loquitur.Sed & Virgilius,hoc est grauissimus poeta, quique Homerum(si me audias)in decoro tuendo non æquauit solum sed multis partibus superauit, frequentiùs ipse loquitur quàm alios loquentes faciat. Vt proinde verendum sit ne Aristoteles decretum illud tanquam fabam cuderet in Platonis caput: idque tum vt ne in huiusmodi decreto Magistrum sequi videretur, tum maximè vt contra eiusdem sententiam,Heroico poemati Tragœdiam callidè anteponeret.Cum enim Tragœdia& Heroicum poema actiones illustres imitentur ac nobiles, ac proinde si materiam spectes, de principatu videantur vtcunque certare posse, Aristoteles quippequi libenter magistrum oppugnabat,hanc callidè rationem iniit ut Tragœdiam Heroico præferret poemati. Cum enim Tragœdia perpetuò actores inducat,ac nusquam non imitetur,Epicus contra tunc solùm imitari uideatur,cum alios loquentes facit,fit sanè,si propositum decretum excipias, vt Tragœdia Heroico poemati anteponenda sit. Sed de hac re tota proprio loco disputabimus. Interim igitur decreto isto prætermisso,

termiſſo,redeo ad rationem: quam video multis extenuari, quibuſdam etiam euerti poſſe. Porrò extenuari inde poteſt, quia quos Epicus loquentes facit, plerique graues & illuſtres ſunt, ita vt minùs perturbetur decorum & veriſimile dum ii carmine inter ſe colloquuntur quàm ſi Dramatici actores loquerentur, præſertim Comici. Huc accedit quòd dum illi aliquas tantùm poematis explent partes, non omnes quemadmodum dramatici; minor adhuc obiici nobis poſſit (ſi tamen poteſt) decori perturbatio. Denique cum metrica eorum dicta nuſquam continuata ſint, ſed poetæ ipſius carminibus, in quibus decorũ ac uerisſimile retinuimus, ſeiugata pasſim atque diſtinta, fit ſanè, ut dum aliqui elaboratis carminibus ſubitò vidẽtur loqui, vix vlla artificii aut perturbati veriſimilis ſenſus in nobis aut ſuſpicio excitetur, cum poetæ carminibus, quippe ueriſimilis ac decori pleniſſimis, diſcutiatur & eluatur. Atque hæc (vt dicebam) extenuant. Euertunt quæ ſequuntur. Nam quemadmodum egregiè monuit Plato, Epicus poeta dum alios loquentes facit, ſic facit (ſi quis accuratiùs æſtimet) vt non tam ſuam ille perſonam celet ac dicta, quàm orationem ſuam alienæ ſimillimam reddere moliatur. Tragicus contra & Comicus & dicta ille ſua & perſonam penitus celat: vel potiùs indu cit nunquam. Ita fit vt quamuis Epicus optaret quodãmodo nos a ſua ad Achillis verbi cauſa aut Æneæ perſonam auocare totos, ac veluti præſentes illos facere, attamen non tam Achillem aut Æneam loquentem inducat quàm a ſe tentet ad illos ſimilitudine orationis mentem noſtram conuertere. Quod tamen nunquam ſic molitur quin ſatis appareat ab Epico Achillem aut Æneam non tam loquentes induci, more præſertim Comico aut Tragico, quàm ſimilitudine orationis effingi. ita demum non neceſſe eſt vt dum Homerum aut Virgilium lectitamus, Achillem aut Æneam concipiamus carminibus differentes potiùs, quàm poetam ipſum eorundem dicta, quæ alioquin pedeſtri ſermone aliquando pronunciata videri poſſint, carminibus complexum eſſe. Vt enim Lucanus

multa

multa Pompeij Cæſariſue complectitur dicta quæ pedeſtri oratione protulerunt illi, hic carminibus refert, ſic Achillis, Æneæ aliorumque multorum dicta quæ pedeſtri ſermone pronunciata fuiſſe concipere licet ac fingere, ab Homero aut Virgilio carmine referuntur. Ita demum cum de Tragicis & Comicis actoribus concipi id nequeat, haud veriſimile eſt carminibus inter ſe colloqui: veriſimile tamen eſt ab Epico aliorum dicta carminibus illigari. Adde quòd ſi cui fortè per incuriam non tam poeta occurrere videretur Achillis aut Æneæ dicta carminibus obſtringens, quàm Æneas aut Achilles carminibus loquens, ac dramatico more loquens, illud huic reputandum eſſet, hac quoque de cauſa Epicum ſtatim ab initio, ſæpè etiam in medijs quoque poematum ſpatijs, Muſas inuocare: harum enim munere id ſibi tributum præſeferunt, quod ſe propria conſecutos induſtria minùs veriſimiliter præſeferrent: nimirum potuiſſe tantarum rerum & memores & imitatores idoneos eſſe: quod ſanè Tragicus & Comicus prætexere nequeunt, qui & perpetuò ſuas illi voces perſonasque celant, atque alios omnino loquentes faciunt, nec Muſas inuocant, ſed ne inuocare quidem poſſunt vnquam. Ad extremum æquè vitioſum eſt nolle leuia quædam poetis concedere, ac vitioſiſſima concedere. Vt enim concedendum nullo modo eſt ſeruos ac mulierculas dies horasue totas metris inter ſe colloqui ac poema vniuerſum iis conſtare colloquiis, ita è contrariò ut aliquid Epicus audeat, nō ferre turpe eſt. Nam quemadmodum Camelos glutire uitioſum ac turpe, ſic in poetarum pictorumue operibus culicem percolare turpiſsimum. Vt omittam interpoſita illa quaſi actorum carmina quæ vix ſubitò fundi poſſe uideri poſſent iis qui non tam poetam quam alios concipiunt loquentes, poemati decus quoddam ac venuſtatem addere. Vt enim colorum decus inter vmbras enitet magis atque delectat, inconditus tonus ſuauibus ſuccedentibus auget harmoniæ ſuauitatem, ſic ii uerſus qui alicui uideri poſſent non tam a poeta quàm ab aliis pronunciari,

ipſius poetæ carminibus ſeiugantur ac uariantur non ſine poematis venuſtate ac dignitate.

Diluitur quod pertinet ad poeticam facultatem. Quæ cum ita ſint, iam non Lyricos poetas modò quorum varietas eſt maxima ac numerus propemodum infinitus, aut etiam Heroicum poema, uerùm etiam Tragœdias atque Comœdias ſiue vinctas proferas, ſiue, quod optamus maximè, metrorum ſolutas vinculis, & cum iis poeticam facultatem, fœliciter retinebimus: quin iubebimus etiam ut Apuleii, Luciani, Heliodori, Marziani, cæteri denique omnes quotquot ſoluta oratione complectuntur fabulas, noſtris obtemperent legibus. dum enim non imitatione diſſident aut fabula, ſed metris tantùm, poetarum nomen ac iura effugere haud poſſunt; tametſi an interim in primis conſiſtere poſſint, id verò præfinire non eſt huius inſtituti ac temporis.

Tertia Ratio. Sed iam ſentio quò iſti confugiant rurſus; uideo quo præſidio ſe muniant iterum ac tueantur: ac quid demum ſiue obtendant ſiue obiiciant vt ſuam illi ſententiam retineant. Etenim Iambus (inquiunt iſti) ex carminibus omnibus eſt usque adeò diſſolutus, ut pedeſtrem ferè ſermonem exprimat ac referat. ita fit ut quemadmodum ſolutam orationem mira ſimilitudine attingit, ſic etiam ſit facilis ad intelligendum. commodè igitur & intelligenter adhiberi poterit Tragœdiæ & Comœdiæ, ac proinde non neceſſe eſt confugere ad ſolutam orationē. Certè Philoſophorum uertex Ariſtoteles tum monuit Iambum eſſe Tragicæ Comicæque imitationi accomodatum, tum ea ratione id confirmauit quòd homines in quotidianis colloquiis ſine meditatione ulla aliquos proferre Iambos ſoleant: Horatius quoque in ſua poetica id docuit cum de Iambo ſic caneret.

Hunc ſocci cepere pedem, grandeſque cothurni
Alternis aptum ſermonibus, & populares
Vincentem ſtrepitus, & natum rebus agendis.

Vt propterea nos quidem errare malimus cum Ariſtotele & antiquitate vniuerſa (quanquam non erramus in præſens) quàm tecum benè ſentire. Egregiè. Quamuis

vicı

vter nostrum erret iam iam videbimus. Ac primò esto Iambus proximè accedat ad solutam orationem, & ideo sit facilis ad intelligẽdum, quod tamen est falsum, vt ostẽdam non multò post: ueruntamen non idcirco custoditur decorum & uerisimile: nam quantumvis nobis in quotidiano sermone excideret Iambus aliquis, non tamen est uerisimile ut excidat, ingens illa, continuata atque adeò perpetua iamborum moles qua Tragœdia atque Comœdia coagmentatur. Quapropter non ego dicam a Tragœdis & Comœdis uerisimile ac decorum perturbari si inter loquendum proferant unum atque alterum iambum, aut paucos quosdam iambos: sed vt tot millia, eaque continuata proferant, id verò nunquam fatebor cum uerisimili consentire: præsertim verò quia si fortè homines in quotidianis colloquiis iambos aliquos funderent, hi sine dubio essent incompositi, enerues, insulsi, ignobiles: non autem viriles, suaues, operosi, graues, salsi, nobiles, quales apud Poetas præsertim Tragicos passim offendimus. Et idcirco aduersariis sic potiùs esset disserendum. Ciues ac populares, quin aulici regesque ipsi, quamuis in quotidianis colloquiis multa vltrò citroque proferant, ac dies horasue totas colloquantur, vix paucissimos quosdam iambos effundunt, atque eos etiam enerues ferè, insulsos & incompositos. Tragœdi itaque atque Comœdi qui illorum colloquia imitantur, vix paucissimos quosdam Iambos proferre deberent atque eos enerues & incompositos: tantum abest vt perpetuis & operosis iamborum colloquijs & concertationibus verisimiliter inducantur. *Infirmatur multis argumentis ac tandem diluitur.* *I.*

Quid? non ne iambi certis quibusdam pedum comprehensionibus conflari & coerceri solent? sic sanè. quis igitur animaduertat Tragicum actorem aliquem, aut Comicum semper in secundo quoq; & quarto pede in iambo verbigratia insistere, ac trimetro catalectico carmen claudere, & summatim in breuissima illa comprehensione quod semel metri genus ac formam arripuerit, ea perpetuo illo recursu auditorum pulsare aures; & tamen hoc loquendi genere quotidiana hominum colloquia ex- *II.*

primi aut dicat aut credat? Ego sanè, si quis id in quotidiano sermone ac de repente non dicam tot millibus continuatisque vicibus, sed ternis aut quaternis, efficiat, hūc non tam popularem aliquem quàm diuinum, vel certè à dæmone correptum, dixerim hominem. Certè & Plutarchus grauissimus author, & Plinius id vni oraculo atque afflatis oraculi administris tribuunt ac largiuntur. Quare (vt hanc rem concludam) poterit fortasse aliquis cum Aristotele aut Horatio tueri Iambum minùs quàm cætera carmina distare a soluta oratione : at esse solutæ orationi quamsimillimum, & vno verbo, aptum ad veri
111. simile decorumque tuendum, nullo modo. Nam Iambum esse intellectu facilem, dicitur quidem facilè, sed legentibus persuadetur difficile. Si quis enim Euripidē perlegat, Sophoclem, Æschilum, Aristophanem; sentiet profectò horum dictionem longè maiore obscuritate inuolutam esse quàm vt oratoriæ historicæue dictionis obscuritatem non multis partibus superet. Id quod de Ennio quoque, Pacuuio, Seneca potiori iure affirmari potest qui Virgilium Heroicumque carmen sua illi vincebant vincuntque obscuritate.

Sed ne imprudens sim ego, qui iam antea ostenderim quàm præposterè a conuicijs ad laudem omnemque affectionum morumque varietatem traducerentur Iambi, quàm temerè in Tragœdia sæpè atque Comœdia confunderentur, quàm inconstanter semper nouati ac variati fuerint, & ad aurium voluptatem sed imprimis ad plausus & quæstum detorti, & tamen pluribus agam aduersus illos qui dictitant Iambum & intelligenter & commodè Comœdiæ atque Tragœdiæ adhiberi, aliò sese conuertat oratio.

Iam ostenditur quid ij senserit quorum authoritate nitūtur aduersarij; nec tā aduersarijs quàm nobis fermè omnes fauere.

Porrò autem exposui hactenus ac pro virili quoque mea confirmaui argumenta illa omnia quæ mihi in proposita controuersia occurrerent aduersus solutam orationem: tametsi eadem infirmaui subinde, immo uerò (quoniam sic tandem postularet ratio) explosi penitus ac refutaui. Nunc superest vt reliqua illa argumenta expendamus

mus

mus quæ ab aduersariis ipsis ex doctissimorum virorum authoritate ducebatur. licet enim ubi aduersariorum cau sam rationibus afflictam ac prostratam video, haud sanè est quòd authoritate magnoperè commoueat, veruntamen ne tantisper commoueantur cæteri ac perturbentur, in eiusmodi aduersariorum perfugium ac propugnaculũ iam lubet inuadere.

Quid senserit M. Tullius.

Atque vt ab eo qui vnus pro Latinis omnibus esse potest, a Cicerone inquam, incipiam, Quis neget (inquiunt isti) summum hunc dicendi magistrum iudicasse versum Poemati esse necessarium, cum se fateatur Græcos poetas, quasi aliena quadam lingua locutos, non attingere? certè id propter metra pronunciauerit necesse est, quibus maximè efficitur ut Poetæ non græca sed aliena peregrinaque lingua locuti videantur. Ego verò an Cicero vel potiùs qui interim loqueretur Antonius (Cicero nanque græcos poetas peruolutauerat diligenter) metri causa ita locutus sit non facilè statuerim. siquidem magnoperè vereor ne id protulerit propter voces quas Græci poetæ licenter admodum immutare ac nouare solent, sed in primis ob dialectos quibus poetarum dictio perpetuò ferè completur & variatur: dum enim siue oratores siue historici certis quibusdam linguarum finibus cohibent orationem, & Communi inprimis Atticaque vtuntur lingua, poetæ & ex Ionica & ex Attica & ex reliquis omnibus (notæ n. sunt) multa decerpunt. ita fit ut dũ ab oratoribus q minimè sunt ad intelligendũ difficiles, ad poetas diuertat aliquis, huic isti quasi aliena lingua locuti videantur: usque adeò propter dialectorum varietatem vocumque nonitatem obscuri sunt & inuoluti. quanquam quoniam ei qui ab oratoribus ad poetas diuertat, versus quoque obscuritatem parere solet, nolim ego istorum sententiam penitus improbare: quin (ut liberaliter cum illis agam) pervelim eam tantisper admittere: præsertim verò cum M Tullius alibi saltem hanc sententiam expresserit luculenter. nam & in Oratore, *Quæstionem* (inquit) *poetæ attulerunt, quid nam esset illud quo ipsi differrent ab oratoribus,*

numero maximè videbantur antea & versu: nunc apud oratores iam ipse numerus increbuit. quicquid est enim quod sub aurium mensuram aliquam cadit, etiam si abest a uersu (nam id quidem orationis est vitium) numerus vocatur. Et in tertio de oratore (qui locus clarior est quàm vt tergiuersari quicquam liceat) dum oratores cum poetis conferret, *Neque verò* (aiebat) *hæc tam acrem curam diligentiamque desiderant quàm est illa poetarum: quos necessitas cogit & ipsi numeri ac modi, sic verba versu includere, vt nihil sit ne spiritu quidem minimo brenius aut longiùs quàm necesse est.* Sic M. Tullius. vt propterea satis superq; constet poetas carminibus fuisse adstrictos. Quanquam locus hic haud officit nobis quicquam: neque enim quærimus interim an poetæ sese carminibus obstrinxerint, sed potiùs contendimus Tragicam & Comicam fabulam carminum vinculis soluendam & liberandã esse, cum metrorum culpa Poematis verisimile, decorum, dignitas, intelligentia, denique solida utilitas ac fructus, honesta etiam voluptas, depereat & euanescat. Atque hac in re obtestamur aduersarios ut quid M. Tullius præceperit ac senserit explorent diligenter: intelligent enim scriptum reliquisse Poetas, ut numeris & cantibus adiuuantur, esse quidem dulces, ita vt a multis non legantur solùm, sed ediscantur: sed tamen mollire animos nostros, neruos omnes virtutis elidere: denique per speciem liberalis eruditionis multa nobis afferre mala & detrimenta. Et quamuis dum suarum ille laudum præconem, hoc est Archiam poetam, defenderet, mirificè & poesim & poetas extulit, & ad hanc rem non oratorios modò sed & poeticos neruos intendit; quasi poetæ sancti essent Deorumque munere commendati: quasi saxa & solitudines poetarum vocibus responderent, immanes bestiæ eorum cantu flecterentur: quasi Imperatores fortissimi poetas sibi comites delegerint, ac propè armati poetarum nomen Musarumque delubra coluerint; veruntamen vbi tantisper ardorem illum remitteret ac studium, & seriò ageret, poetarum metris, cantu, intensioreque imitatione permotus, sic statuebat. *Rectè igitur a*

Platone

Platone educuntur ex ea Ciuitate quam finxit ille, cum mores optimos & optimum Reip. statum exquireret. At verò nos, docti scilicet a Græcia; hæc & a pueritia legimus & discimus: hanc eruditionem liberalem & doctrinam putamus. Neque verò hæc ego commemoraſſe velim quòd poetas poeſimque contemnam aut Muſis infenſus ſim, tantum enim abeſt vt poetis ac Muſis ſim infenſus, vt cenſeam moderatam poeſim eſſe honeſtiſſimam remiſſionem animorum optimamque humanæ vitæ magiſtram. Denique quas Cicero politioribus literis egregias tribueret laudes, dum illis ali adoleſcentiam diceret, oblectari ſenectutem, res ſecundas ornari, perfugium atque ſolatium præberi aduerſis, quin delectare nos illas domi, non impedire foris, nobiſcumq; pernoctare, peregrinari, ruſticari; in liberalem poeſim conueniunt vel maximè; veruntamen vbi id largitus fuero aduerſarijs, eò tamen recurram vt intemperantes Comicorum ac Tragicorum numeros ac metra, multò verò magis cantus ac cæteras illas corruptrices animorum delicias cum optimo Platonis interprete (hãc enim ſententiam ſine dubio ex Platonis politia hauſit Cicero) animos noſtros mollire, ac virtutis neruos incidere, denique ſperata nos vtilitate defraudare contendam. Ita demum ſi quid M. Tullij valet authoritas (valere autem plurimum debet, immo verò Latinorum inſtar omnium eſſe poteſt magnus hic Romanæ eloquentiæ ac Philoſophiæ parens) Tragici & Comici dum ſoluta oratione poſthabita, fabulam metris inuoluunt & cantibus, non boni humanæ vitæ magiſtri habendi ſunt.

Quod cum ita ſit, iam faciliùs licebit animaduertere num tantopere aduerſariis faueat Plato, an verò ſententiam confirmet noſtram. Nam quid eſt obſecro cur poetas, maximè verò imitatores, è Rep. eiecerit ſua? certè ſi quis attentiùs eum perlegat, intelliget non lyricis infenſum eſſe aut ſi qui ſunt alii qui imitationi haud aſtricti ſint: cum præſertim horum carmina diuinis laudibus canendis (vt ille ait) accommodata uideantur. Cum Homero etiam Heroicisque poetis, quos etiam in multis lau- *Quid Plato.*

dat

dat, facilè rediiſſet in gratiam vbi & temperatiore imitatione vſi eſſent, & in primis nonnulla quæ cum honeſtate ac virtute pugnare viderentur, emendaſſent. verùm in Tragicos & Comicos, quoniam perpetuam illam imitationem metris & cantibus ad laſciuiam ſeuitiamue inflecterent totam, ſic exarſit vt tandem & illorum poemata repudiauerit, & poetas ipſos, è ſua Rep excedere iuſſerit tanquam ſi aqua illis & igni interdictum vellet : idque quia verſu, rythmo & harmonia mulcerent quidem aures, & expertem rationis ſenſum delectarent, confluentibus deñique in theatrum turbis admirationẽ mouerent ; ad prudentiàm verò & temperantiam non modò non informarent animos, ſed ea ratione ne informare quidem poſſent. Sic ſanè dum quærimus num ex Platonis ſententia non dico carmini illigarent veteres poetæ Tragicas & Comicas fabulas, ſed an vtiliter illigarẽt, itaut eorum imitatio non ſuauis modò (Platonis verbis autor) atque iucunda, ſed ad hominum vitam inſtituendam, Rempublicamque temperandam vtilis eſſet, non aduerſariis fauet Plato ſed nobis potiùs, qui ut Tragœdia & Comœdia vtiliter retineri poſſit, eam metris & huiuſmodi quaſi voluptatis illecebris exoluendam putamus. Atque hac de cauſa non neceſſe habeo illud diſputare, an Socrates inter loquendum ſolutam orationem poeſi oppoſuerit aliquãdo: quaſi verò Comicæ quoque Tragicæque poeſi non ſoluta oratio adhiberetur ſed carmen. etſi enim quæ ad hãc rem confirmandam ex Platone afferunt vrgentque loca, pleraque infirma ſunt, veruntamen nolumus non neceſſariam diſputationem ſuſcipere: cum non quæramus quid fecerint Tragici aut Comici illi, ſed quid feciſſe conducat & præſtet. Ita multò minùs eſt quod ſiue Alicarnaſſei, ſiue Hermogenis, ſiue Euſtathij authoritate commoueamur : nam præterquamquòd iſti obſcurè ſatis ac frigidè id ſignificant quod prætexunt aduerſarij, poſſem ego illis alios non paucos, eoſque non contemnendæ authoritatis viros opponere qui aliter ſentiunt. Inter quos Dion Chryſoſtomus, *Pellendi ſunt* (inquit)

Quid aly quidam.

(inquit) *a Regibus poetæ qui ad effusos risus prouocant populum, siue carmine prouocent siue soluta oratione* ? Sed & Alexander Piccolomineus quem ob doctrinæ præstantiam & varietatem præclarum Vrbis suæ suorumque temporum decus meritò appellaueris, non Comœdiā solùm, verùm & Tragœdiam pedestri sermone non sine dignitate scribi posse contendit. Verùm quid moror? esto Alicarnasseus ac cæteri illi duo id scripserint ac perspicuis verbis scripserint quod dictitant aduersarij, attamen quid tandem efficiunt ij nisi apud veteres fuisse in more positum vt Tragœdia & Comœdia metris commendaretur? profectò aliud nihil. & tamen non id factum fuisse, sed sine decori perturbatione immò verò cum auditorum vtilitate atque humanæ societatis bono factum fuisse, docendū fuerat. qua in re si quis hæreat, Philosophorum Homerum legat in postremo libro de Rep: atque intelliget Tragicos illos & Comicos eorum temporum corruptelā fuisse ac pestem.

At enim quàm tu libenter moras nectis? quàm facilè ad omnes alios quàm ad Aristotelem diuertis? & tamen non tam facilè illum prætrire ac dissimulare debe res quem explicandum suscepisti: multò minùs eius authoritatem contemnere quem optimum atque admirabilem poeticæ facultatis magistrum fuisse constat. *Quid Aristoteles: ex cuius monumentis multa vrgentur in aduersarios.*

Ergo, quoniam ignem benè sopitum excitare vos iuuat Auditores; agedum ad nostrū Aristotelem reuertamur: & quicquid tandem summus hic Philosophorum poetarumque magister aut senserit aut sentire nos iusserit exploremus. Quid enim si nobilis hic non intelligendi solùm sed & dicendi artifex plus fortasse nobis concedat quàm interim postulauerim?

Ac primò ad Aristotelis Rhetoricam prouoco. Etenim siquis requirat ab Aristotele cur statuerit & cauerit ne oratoria dictio sit metrica aut admodum numerosa, respō debit, ne probabili careat aut verisimili: ac rectè: carmē enim summam industriam & requirit ac refert, nec cuiuscunque est sed ingeniosi tantùm, quique non subitò sed *Primum.*

magna animi meditatione loquatur, & quos publicè fundit versus, non inpræsens pangat, sed domo afferat per otium elaboratos & commentatos. Quis igitur non immeritò reprehendat oratorem qui metrica aut nimis numerosa & elaborata oratione vtatur, & tamen iurè sustineat seruos & mulierculas loquentes ac subitò diuque loquentes metris? Profectò Orator non quòd paratus accedat reprehenditur: non quòd meditatus loqui videatur: quin si inter loquendum omninò imparatus venisse deprehendatur, temeritatis facilè insimulatur, præsertim si grauem causam, & apud graues aut difficiles Auditores agat; sed duntaxat ne artificium, non dico non adhibeat orationi, sed ne ostentet, præcipitur. Et erit qui impurissimos lenones, sordidas lupas, bonis & operosis inter se versibus altercantes atq; horas integras colloquentes, sine verisimilis ac decori offensione induci affirmet, cum tamen ne tantillum quidem parati ac meditati videri debeant, sed è re nata ac derepente loqui, vno verbo, casu in congressum venire? Quapropter si Aristotelis ratio quicquam in Oratorum valet spatijs, nostra sanè in poeticis quod volumus efficit atque demonstrat luculentè.

Dubitatur. Sed videre mihi videor ac persentire vestrum aliquos ingenium interim exerere ac mentem, vt se ratiocinatione hac nostra quasi sophismatis laqueis expediant. Quid? aliquem etiam mihi uideor audire qui in me sic disserat. Tu verò tua ista ratiocinatione si quid ostendisti, illud ad summum ostendisti, Tragœdiam & Comœdiam, quoniã carmine violetur decorum ac verisimile, carmine peragẽdam non esse: at soluta oratione peragendam, minimè. quin fortasse etiam ne illud quidem satis ostendisti, non peragendam carmine. is enim est Aristoteles qui dum multa construit, aliqua etiam, nec sentiens, destruit. Passim enim videmus Aristotelis rationes eas esse quæ dum aliquid confirmant, aliud quidpiam, nescio quo pacto, per incogitantiam infirment quod minùs vel debuisset uel voluisset. Exempla sunt in promptu. Efficere atque demon-

monſtrare conatur diuinam mentem nihil niſi optimum ac diuiniſſimum contemplari, cum ecce tibi per incogitã tiam rerum mortalium illi & intelligentiam proindeque earundem curam & prouidentiam adimit, quam tamen alibi & ſæpe & grauiſſimis verbis admiſerat. nobiliſſimũ quoque fortitudinis campum &, vt cum Peripateticis lo quar, præcipuum fortitudinis obiectum, docet eſſe morté, idque quia cum res horribiles & formidoloſæ ſint fortitu dinis obiectum, mors horribilia & formidoloſæ vincat om nia, immò quemadmodum ſummum ita vltimum ſit formidabile, cum poſt mortem nihil nos maneat aut bonum aut malum. Sic animi immortalitatem per incogitantiam ſtatuere videtur quam tamen alibi refellit paſſim. Denique infinitum eſſet percurrere loca illa omnia in quibus dum vnum ſtatuit atque confirmat, aliud quod minùs vo luiſſet refellit & infirmat. Et ideo eam bonus Peripateticus regulam diligenter retinere debet vt in Ariſtotelis ra tiocinationibus illud maximè ſpectet quod molitur Ariſtoteles, ſi quid verò incommodi veluti obiter è ratiocina tione illa redundare videatur, non ſtatim nouum inde decretum colligat. Sic igitur in præſenti illud maximè ſpectandum eſt quod molitur ratiocinatione illa Ariſtoteles, quod eſt Oratori, vt uериſimile tueatur, non metris ſed pedeſtri oratione dicendum. Quod ſi ratio iſta deflecti commodè poteſt quin commodiùs (vt tu prætexis) ad carmẽ Tragœdis & Comœdis veluti extorquendum, non hoc audendum hoc tempore, cum alibi Ariſtoteles metra Comœdiæ tribuat atque Tragœdiæ. Quæ res eò magis concedenda eſt hoc in loco quòd in eodem confeſſus ſit metra, a quibus abſtinendum eſt Oratori, ad poetam pertinere. Ita vt hoc ipſo in loco ſatis ſuperq; indicauerit Tragicis & Comicis quippe poetis conuenire metra. Quamobrem non debemus argumentationem illam eò traducere vt carmen Tragicis & Comicis extorqueamus, tametſi anſam aliquam huic extorquendo offerre viſus ſit Ariſtoteles. Quanquam ſi quis accuratiùs æſtimet, ne hanc quidem anſam obtulit. Siquidem quemadmodum

multa conceduntur poetis quæ prohibentur cæteris, ac multa decorè vſurpantur à Poeta quæ indecorè attingerentur ab Oratore, ita etiam in veriſimili tuendo licentior eſſe poteſt poeta quàm Orator. vt enim è machinis ſuos illi proferebant Deos, eoſdem cum hominibus in cõgreſſum vocabant, ab inferis & animas & diras & monſtra excitabant, diem ſæpe integrum ternis horis aut quaternis & abſumebant & abſumunt in præſens; actores inſuper & ſecum ipſos colloquentes inducunt idque elata voce, & congredientes, altiùs loquentes faciunt atque clamantes quaſi theatro toto inter ſe diſſitos, ac ſexcenta alia vſurpant & factitant; quæ omnia, etſi a veriſimili abſunt longè, dabantur tamen poetis ac dantur; ita etiam vt præter morem carminibus vel imperitiſſimi loquerentur, concedebatur Poetis: quod tamen non concedebatur Oratori. Et ideo Ariſtoteles ea vſus eſt ratiocinatione quòd ſciret valere in Oratorem non in poetam, cui omnes, vt hac in re ab veriſimili tantiſper diſcederet, largirentur. Grauiora itaque ac tutiora argumenta arripias neceſſe eſt, ſi cum Ariſtotele tueri velis Tragœdiam & Comœdiam poſſe, immo eſſe, pedeſtri peragendam ſermone.

Reſpondetur. Sic inquam video mihi veſtrum aliquos reſpondere atque adeò obijcere. Ego verò quoniam nobis ex Ariſtotele ſuppetunt aliæ rationes multæ atque illæ grauiſſimæ & ex medijs Poeticæ doctrinæ ſpatijs deſumptæ, nolim non vobis hac in re gratificari. tametſi illud ſaltem fatendum vobis eſt interim, aduerſariam ſententiam ſi nõ proſtratam adhuc, certè labefactatam videri poſſe. nam aſſerere eum qui probauerit Tragœdiam & Comœdiam non eſſe carminibus peragendam, non ſtatim probaſſe peragendam eſſe pedeſtri oratione; aut velle Ariſtotelẽ vno longiùs reſpectaſſe oculo, dormitaſſe altero, ſiue (vt dicam planiùs) vno eodemq; tempore & acutè & oſcitanter philoſophatum eſſe, id verò non tam æqui rerum æſtimatoris eſſet, quàm arguti diſputatoris & perpugnacis. Sic etiam nolle niſi leuem quandam ac penè

adum-

adumbratam haberi verisimilis rationem quo poesis fusti netur vniuersa, ac peccato, etsi non intollerando, grauissimum & intollerandum eleuare, est a ratione longè alienum: vt enim historico veritas sic poetæ verisimile pro virili semper sectandum ac mordicùs (vt ita dixerim) & perpetuò retinendum est.

Sed vt iam tandem robustiores machinas aduersariæ opinioni oppugnandæ atque adeò prosternendæ proferamus ex Aristotelis officina, agedum obsecro & quid de re hac in sua Poetica senserit magnus hic intelligendi & dicendi artifex, & quæ præcepta dederit, aut saltem quid ex illius initijs atq; decretis colligere nos ac sentire oporteat, exploremus. Ergo Aristoteles non longè a suæ Poeticæ initio monebat poematum fermè genera ac formas tripartitò distingui ac variari: nimirum quia imitarentur ἢ τοῖς ἑτέροις, ἢ τὰ ἕτερα, ἢ τῷ ἑτέρως, hoc est vel diuersis istrumentis, vel res diuersas, vel diuersa ratione ac modo. numque subinde aperiret qualia tandem instrumenta diceret, monebat esse illa harmoniam, rythmum ac λόγον seu sermonem. Vbi sanè (vt subiectam rythmo & harmoniæ vim atque notionem mittam hoc tempore) sermonis nomine id planè intelligebat quod propria sermonis notio representat: nimirum orationem siue solutam siue numeris adstrictam: vt enim nemo est qui nesciat orationem aut sermonem in solutum distingui ac vinctum, ita etiam propria ac trita sermonis notione ac significatione retenta, hic sermonis nomine sermonem tum vinctum tum solutum designarit & inter poeticæ imitationis instrumenta enumerauerit necesse est. Et quãuis non me lateat λόγον seu sermonẽ interdũ cũ ab alijs authoribus multis ijsq; optimis, tũ inprimis ab Aristotele ipso, pro soluta tantùm oratione vsurpari (id quod nobis multò magis faueret qui solutã quoq; orationem ex Aristotele poematis quibusdam adhiberi volumus) verũtamen quoniam Aristoteles ipse (id quod paulò post cõstabit satis) luculenter docet se pro quocunque orationis genere *sermonem* usurpasse, nolim ego nisi æquo iure disputare.

Secundum.

ſputare. Cũ uerò illud hac ĩ re ſupereſſet Ariſtoteli, ut ſcilicet doceret qualisqualis tandem Poeſis illa eſſet quæ ſermone vteretur, *Epopœia* (inquit) *eſt quæ ſermonibus nudis vel metris vtitur.* Vbi & quid ſermonis nomine intellexiſſet antea, & ſummatim eſſe omnino aliquod poematis genus quod ſoluta oratione imitari poſſet immò verò imitaretur, vſque adeò apertè docuit, ut nihil clarius. ſi enim id ipſum planè affirmare voluiſſet quod nos cõtendimus, videlicet eſſe aliquod poema quod pedeſtri oratione & imitari poſſit & imitetur, id profectò clarioribus uerbis ac ſignificantioribus ſcribere potuiſſet nullis. Et hinc eſt vt ſtatim ad hoc poematis genus tam Sophronis & Xenarchi reuocet mimos, qui ſine dubiò metris erant conſcripti, quàm Socratis ſermones ſeu dialogos qui ſoluta oratione continebantur. Atque huc etiàm pertinet quòd cum deinceps ſecundam illam poematum diſtinguendi rationem proferret quæ ex materiæ varietate ducebatur, monuerit hanc tam imitationibus & poematis conueni re quæ ψιλομετρία, nudis inquam metris, peragerentur, quàm iis quæ ſermone continerentur: vbi quoniam ſermonem opponebat metris, ſolutam orationem, ſine vlla dubitatione intelligebat. Quapropter qui pugnant ex Ariſtotelis ſententia nullas poematum formas poſſe ſoluta oratione conſcribi, ii ſanè ab Ariſtotele diſcedunt quamlongiſſimè.

Dubitatur. At enim valent iſta quidem (ſic enim videor mihi doctiſſimos quoſdam viros qui noſtræ huic interſunt diſputationi me peramicè compellantes audire) ac plurimùm valent ad ſententiam iſtam confirmandam: veruntamen, ſi rem vniuerſam æqui boniq́ue conſulas, multa ſunt quæ nos in contrariam impellant ſententiam & faueant aduerſarijs.

1. Etenim qui fieri poteſt vt Ariſtoteles Socratis ſermones, hoc eſt (vt tu quidem interpretaris) Platonis dialogos, reuocauerit ad Epopœiam quam conſtat ab Ariſtotele & rebus ab Heroibus fortiter geſtis & (quod caput eſt) Heroico ſiue hexametro carmine concludi & cohiberi? Certè Ariſtoteles vbi Epopœiam confert cum Tra

gœdia

gœdia, has monet conuenire quòd utraque vtatur carmine, dissidere quòd Tragœdia iambis, Epopœia hexametro, imitetur & contineatur. Atque idcirco etiam cum de Epopœia disputaret sigillatim, docebat huic non quodlibet metri genus sed hexametrum conuenire, idque tanquam a Natura fuisset Epico poemati attributum. Quanquam ne Mimi quidem illi etsi uincti metris, uidentur potuisse ad Epopœiam reuocari, cum nec heroico cōstarent carmine (si multis credimus) nec Heroum facta imitarentur, sed homines uilissimos & perridiculos. Ita ut ægrè aut intelligi aut credi possit Mimos istos Epopœia contineri. *II.*
Huc accedit quòd cum scriberet Aristoteles esse facultatem quandam quæ promiscuè tripartita ista instrumentorum varietate vteretur, id illis verbis confirmabat quia scilicet dytirambica & harmoniam & rythmum & metrum, quod est instrumenta illa omnia, simul coufunderet ac permisceret. Certè hoc in loco, sermonis mentione abiecta, metrum in tertii illius instrumenti loco habuit: ita ut sermonem antea pro metro fuisse ab Aristotele usurpatum, non temerè suspicemur: diceremus etiam concludamus, nisi cætera illa loca in quibus sermonem opponit metro, id reuera omnino prohibere viderentur. vt propterea vel inconstans seu potiùs uafer ac uersipellis fuerit Aristoteles atque ad torquenda ingenia suosque sectatores fatigandos natus, quique serendas ancipiti oratione discordias censuerit, ut inexplicabilibus sui studiosos contentionibus implicatis, diuturniore tyrannide potiretur; vel saltem loca ista Delio natatore egeant, atque ut Aristoteles ipse tanquam ab inferis excitetur. *III.*
Quanquam quisquis tandem fuerit Aristotelis hac de re sensus, quale quale consilium, aut quæcunque præcepta dederit, quid tandem efficiunt ista ad tuam illam sententiam cō firmandam qua Tragœdiam & Comœdiam non inuito Aristotele carminum vinculis exoluebas? Siquidem vbi tibi concesserim Epopœiam ex Aristotele pedestri oratione ac stylo confici posse, non tu tamen effeceris id quoque de Tragœdia & Comœdia statuendum. *IV.*

Ego

Reſpondetur. Ego verò mirificè gaudeo quòd æquos & auditores & rerum æſtimatores inpræſens offenderim: quique non aſſerant hic pro metro ſermonem perpetuò vſurpari poſſe, quod ſine vlla Ariſtotelis authoritate quaſi de tripode loquentes ſtatuunt aliqui; neque Ariſtotelem contendant ſeipſum emendaſſe tandem, quaſi ſermonem pro metro vſurpaſſet minùs propriè, quod pugnant alij. Nã nihil erat quòd ſummus dicendi artifex aut ferreis vocibns (vt ita dicam) plumbeiſue vteretur, cum argenteas immo aureas haberet in promptu: aut eam culpam emẽdaret vel potiùs deprecaretur qua facillimè carere potuiſſet: aut rurſus, poſtquam eam (quod aduerſarij dictitãt) emendaſſet, aſſerens Epopœiam imitari τοῖς ψιλοῖς λόγοις ἢ τοῖς μέτροις, hoc eſt, vt illi frigidè omnino ac præpoſterè interpretantur, *nudis ſermonibus ideſt metris*, aut *nudis ſermonibus vel potiùs (vt rectiùs dicatur) metris*, paulòpoſt in eandem culpam dilaberetur vt diceret poemata τῷ λόγῳ ἢ ψιλομετρίᾳ, ſermone inquam ſeu nudis metris, imitari, ac meliorum deteriorumue imitatione variari. Iurè itaque me auditores illos nactum gaudeò qui non ad iſtas interpretum quorundam confugiant nenias vt ne id quod eſt fateantur: ſed potiùs & commoueantur, & rem eam eſſe fateantur in qua Ariſtoteles veluti ab inferis excitandus videatur. Quanquam ne id quidem eſt magnopere neceſſarium, nam & interpretes aliqui aliquam dubitationũm, quæ vos hærentes habent, explicarunt partẽ, & nos fortaſſe eaſdem Deo benè iuuante diluemus & obteremus vniuerſas.

Ad I. & II. Ac primùm quidem dum diceret Ariſtoteles Epopœiã & ſoluta oratione imitari, & carmine, Epopœiæ nomine non Heroicum poema ſeu carmen intelligebat, quid enim abſurdius dici aut fingi potuiſſet? ſed fictionem ſeu imitationem ſermone factam, atque (vno verbo) id quod Epopœiæ ſonat nomen. Etenim quemadmodum ἔπος, teſte Homeri interprete, plerunque ſignificat verbum ſeu dictum atq; ſermonem, aliquando carmen in vniuerſùm, interdum etiam certum carmen, videlicet hexametrum

ſiue

siue Heroicum; ita etiam Epopœia quæ sermonis fictionem significat, & sermonis cuiuscunq; (tam soluti scilicet quàm uincti) & sermonis carminibus adstricti, & hexametri denique, imitationi seu dictioni aptari potest. Atque hac de causa ad huiusmodi Epopœiam reuocauit Aristoteles tam Sophronis & Xenarchi mimos qui (vt dicebam) constabant versibus, quàm Socratis sermones seu Platonis dialogos qui soluta oratione scripti sunt. Cum enim id commune haberent vt perpetuò imitarentur ac sermone (metrico illi quidem & vincto, hi liberiore atque soluto) imitarentur, ad Epopœiam hoc est ad imitationem sermone factam, vtrosque censuit reuocandos. Quod enim Sophronis mimi continerentur carminibus, id sanè cum Demetrius Phalereus testatur luculentè, tum verò Athenæus: nam vterque mimorum illorum carmina refert permulta. Idem de Xenarchi mimis dicendum est, ex quibus carmina item profert Athenæus sexcentis in locis. Quid multa? Aristoteles ipse in libro de Poetis (quemadmodum Athenæus refert) testatus est Sophronis mimos ἐμμέτρους fuisse, metris inquam fuisse conscriptos. Vt mirum sit (id quod accuratè animaduertit Patritius) tam multos ex Aristotelis interpretibus a Suida deceptos, censuisse Sophronis mimos non carmine sed pedestri sermone fuisse exaratos. At verò per Socratis sermones intelligendos esse Platonis dialogos, qui, vt perspicuum est, soluta oratione conscripti sunt, non est quod dubitemus. Nam (vt omittam tum Platonem ipsum maluisse eos dialogos & Socrati quàm sibi acceptos referri, & Socraticos potiùs quàm Platonicos appellari, & idcirco etiam in illis primas partes Socrati semper propemodum detulisse; tum Aristotelem dum Platonis dialogos atque decreta carpit, plerunque, Platonis suppresso nomine, Socratem carpere) profectò Aristoteles in libro illo de Poetis (quemadmodum apud Athenæum item legere licet) Socratis dialogos cum Sophronis mimis, quos tamen metris scriptos esse dixerat, coniungit; docetque utrosque ad imitantes sermones pertinere. Ex quo loco

ſatis intelligere licet tum Socratis ſermones & dialogos vſurpari promiſcuè: tum Dialogos iſtos, etſi ſoluto ſcriptos ſermone, ad Poeſim non ſecus ac Sophronis mimos reuocari, quòd utrique imitatione continerentur. Adde quod vix ac ne uix quidem fingi poteſt qui alii fuerint Socratis Sermones. Siquidem eius uitam, quin dicta factaque omnia a multis diligenter perſcripta legimus, nec tamen ab eo ſermones ullos literis conſignatos legimus, immo verò à Socrate ante extremum ferè vitæ diem literis nihil mandatum fuiſſe in Phædone proditum eſt. Quamobrem qui Socraticos ſermones iſtos carmen quoddam fuiſſe dictitant cui Socrates morti proximus neſcio quam Aeſopi fabulam illigaſſet, ij mihi videri ſolent perfrigidum omnino ruinoſumque perfugium ſibi paraſſe: quandoquidem neque veriſimile eſt ut Ariſtoteles in libris de Arte dicendi, vbi rurſus Socraticorum ſermonum mentione iniecta aſſerebat hos moratos omnino fuiſſe, & de moribus fuiſſe locutos; in carmen hymnumue illum inſpiceret: contrà verò perquam veriſimile eſt ut Socraticos Dialogos ſpectaret qui maximè τὰ ἤθη continent; & de moribus loquerentur: neque rationi eſt conſentaneum ut ex hymno aut perbreui carmine iſto tam amplam & imitationis & moratæ orationis vim explicandi anſam arriperet: neque rurſus ut hymnum ſiue carmẽ ſermonum nomine appellaret. Adde quòd cum Mathematici ſermones, quos eodem in loco moratos fuiſſe negat, non potuerint niſi ſoluta oratione contineri; ſermones Socratici quos è contrario moratos fuiſſe dicit, non debuerunt niſi ſoluta item oratione contineri: alioquin minùs aptè atque adeò inſulsè ac frigidè ſolutos Mathematicorum ſermones cum hymno illo aut carmine contuliſſet. ſed quid moror? ſi Socratici ſermones iſti metris conſcripti erant, profectò Ariſtoteles quemadmodum frigidè omnino ac temerè hymnum aut carmen iſtud Socraticos ſermones nuncuparet, ſic ineptè uel potiùs falsò diceret nihil commune & mimis illis & huiuſmodi ſermonibus reperiri: nam metrum ſeu carmen fuiſſet in

promptu.

promptu. Neque verò obiiciat mihi quisquam fore bilinguem Aristotelem qui Epopœiæ nomen modò pro Heroico carmine modò pro sermone tam soluto quàm etiã vincto vsurpet. Nam hac ipsa de causa monebat se ad Epopœiam uarias illas imitationes (& vinctas scilicet & solutas) reuocare, quòd aliud commune nomen suppeteret nullum: quasi diceret. Memini me ab initio Epopœiam pro Heroico carmine usurpare: eodem quoque nomine a me usurpabitur in posterum: nunc tamen quoniam nomen aliud supetit nullum quo Socraticos sermones vna cum Sophronis & Xenarchi mimis (hæc enim omnia sic imitantur vt tertio illo poetarum instrumento, sermone scilicet, seorsim vtantur) certo aliquo imitationis instrumento adstringam, dabitis mihi hanc ueniã ut Epopœiam pro quacunque imitatione, solo sermone facta, tantisper vsurpans (nam id quoque valere potest Epopœia) eiusmodi nomine poeticas imitationes illas cõcludam omnes & patefaciam quæ harmonia & numero prætermissis solo sermone vtuntur. Vt enim Politiam aliquando in Regnum Aristocratiam & Politiam distribuere coactus sum, & communi nomine (quia scilicet priuatum nomen suppeteret nullum) postremam hanc gubernationis speciem appellare; vtque rursus plantarum animam non dissimili de causa ψυχῆς nomine comprehẽdi, tametsi refrigerari ac respirare animantium sit non plãtarum (aptius enim commune nomen haud occurrebat) ita etiam in præsens consimili egestate nominum adductus Epopœiam pro quacunque imitatione sermone facta vsurpabo; quamuis sat sciam eam pro Heroico poemate passim receptam esse. Hæc est germana huius loci sententia. Et idcirco apposité omnino ac scitè Madius nobilis Aristoteleæ Poeticæ interpres, & indiuiduus eiusdem assecla Bartholomæus Veronensis, & post hos etiam Alexander Piccolomineus, nos grauissimis verbis (ne scilicet cum alijs multis offenderemus) de hac re tota monuerunt. Quare Madius (vt huius rei specimen vobis extet aliquod) dum hunc ipsum locum enarrat in quo

tum mimos illos tum Socraticos sermones ad Epopœiam refert Aristoteles, *Cum Epopœiam*(inquit)*tum soluta oratione tum etiam metris imitationem facere dixerit*; *Epopœia verò propriè dicta, &, vt eius est communis apud homines vsus, heroico metro addicta sit, se nobis Aristoteles meritò nunc excusat, & rationem affert, cur imitationem oratione soluta factã, Epopœiam appellauerit. Nam si non (inquit) ita Epopœia nomine latiùs vtamur, nulla communis erit vox, qua factam sermone tantùm imitationem omnem significare possimus, qualis erat nimirum imitatio in Mimis Sophronis atque Xenarchi, ac præterea Dialogis: quorum siue quædam oratione soluta, quædam verò carmine, siue oratione soluta omnia essent conscripta, cum in hoc tamen conuenirent, quòd sermone duntaxat imitarentur, vnico sanè nomine vocari iurè debebant. Id genus erat Epopœia, aliter, ac vulgò capi soleat, accepta. nam vt græca vox indicat, tantum Epopœia significat, quantum, per verba faciens, id est verbis imitans*. Hæc Madius: quam sanè rem, quoniam facilè erat labi, in eorum progressu commentariorũ semel, iterum ac tertiò nobis in memoriam reuocauit. Tametsi quod pertinet ad Mimos illos, non potuit non hæsitantiam ille suam, vnde interdum aberrauit etiam, non indicare ac prodere.

Ad III. Sed quoniam iam satis constare potest quales fuerint Aristoteli Sophronis & Xenarchi Mimi, qnales Socratis sermones, cur & Mimos & sermones istos ad Epopœiam oẽs, & ad quam Epopœiam, reuocauerit; agedũ videamus cur potiùs dixerit Dityrambum harmonia, rythmo, & metro imitari, quàm harmonia, rythmo & sermone. Si enim ab initio non pro metro vsurpauerat sermonẽ, quid erat quòd ad extremum tripartitam istam instrumentorum varietatem non harmoniæ, rythmi, & sermonis, sed harmoniæ rythmi, & metri nomine in Dityrambicam concluderet? Ego verò sic statuo: locus iste (si quis paulò accuratiùs æstimet) non modò non fauet aduersarijs, sed eorum opinionem & causam magis adhuc infirmat, nostram adiuuat atqne confirmat. Etenim Aristoteles, cũ monuisset varia illa Poematum genera ea etiam ratione

inter

inter se distingui & variari quòd tripartito illo instrumẽto vel seorsim vel promiscuè vterentur, sic λόγον seu sermonem inter instrumenta illa numerauerat vt sermonis nomen propriè (quatenus scilicet & soluto & vincto cõmunis est) vsurpasset: hac etiam de causa cum doceret quod poematis genus sermone seorsim vteretur, ad Epopœiam hoc est ad imitationem sermone factam, tam Socraticum, pedestrem scilicet atque solutum, quàm Mimicum illum, idest metricum ac vinctum, sermonem reuocauerat. Quis igitur non fateatur Aristotelem, cum subinde ostenderet quæ poematum formæ vterentur instrumentis illis promiscuè omnibus, debuisse etiam docere soluto ne an vincto vterentur sermone? Certè quemadmodum, sermone iam semel in solutum & metricum distincto, Soctaticos sermones reuocauerat ad Epopœiam propter solutam orationem, mimos propter vinctam; ita cum moneret Dityrambicã tripartito instrumento isto vti promiscuè, debuit etiam docere sermone soluto ne, an metrico vteretur. Et ideo ne id requirendum superesset si dixisset harmonia, rythmo, & sermone vti, *Dityrambica (inquit) harmonia vtitur rythmo & metro*. Non necesse itaque est vt quartum instrumentum proferamus, quia metrum est sermonis pars altera, idest vinctus sermo. Sic sanè perspicuum est nõ prosterni hinc sententiam nostrã quin locum vniuersum cum sententia nostra optimè coherere. Contra verò infirmari atque adeò prosterni aduersariam, inde colligitur, quia si metrum cuius mentionem hic facit, & sermonem cuius mentionem fecerat antea, confunderet ac promiscuè vsurparet, culicem sanè percolasset, deuorassetque camelum. Nam Epopœiæ nomen, quoniam pro Heroico carmine iam semel vsurpatũ fuerat, ne coactus quidem ausus est interim pro fictione sermonis vsurpare nisi cautione quadam ac moderatione adhibita; & idcirco, ne nominis ambiguitate deciperemur, indicauit, se ideo & Mimos illos & Socraticos sermones ad Epopœiam reuocare quòd aliud commune nomen suppeteret nullum: cum igitur hac veluti excusatio-

ne vti. & quaſi culpam deprecari voluerit, tametſi non li
center omninò illud faceret cum Epopœiæ nomen ſer-
monis fictionem ſignificaret ; quantò magis admoni-
tione ſeu excuſatione potiùs vti, quin culpam depreca-
ri, debuiſſet, vbi ſermonem pro ſolo metro, quod inſolen
tiſſimum fuiſſet, accipere ac ſine neceſſitate vlla (metrũ
enim in promptu erat) vſurpare libuiſſet? Sic concilia-
uimus, opinor, loca illa Ariſtotelis vniuerſa quæ in pro-
poſita controuerſia torſerunt ſemper interpretes omnes.
neque enim illos ſolùm qui carmine quancunque Poeta
rum imitationem concluderent ex Ariſtotele, hærentes
habuerunt, verùm etiam qui aliqua ex parte ſolutam ora
tionem retinuerunt. Nam hi quoque vel Epopœiæ vim
minùs intelligentes, vel de Mimis illis Socratiſque ſermo
nibus hæſitantes, vel certè vtrunque minùs rectè & cõ-
modè explicantes, aberrarunt a ſcopo.

Ad IV. Ac prius tribus rationibus, aduerſus iſtiuſmodi argumentum munitur ſententia noſtra: tũ diluitur argumentum ipſiꝰ.

Verùm dũ Carybdim declino, video me, neſcio quo pa
cto, in Scyllam propemodum incidiſſe. Dum .n. ijs reſiſto
qui pugnãt me ab Ariſtotelis ſententia quamlongiſſimè
diſcedere, atque adeò cum illo mirificè pugnare, cum non
carmine ſolùm ſed pedeſtri oratione Epopœiam ex Ari-
ſtotelis ſententia conſcribi poſſe immo verò conſcriptã
fuiſſe doceam, ecce tibi clamant alii illud interim corrue
re quod a me de Tragœdia & Comœdia iandiu fuerat
conſtitutum: has ſcilicet ſoluta quoque oratione conſcri
ptas ad poeſim Ariſtotele authore pertinere. qui enim
obſecro id tu ex Ariſtotele demonſtraſti qui neſcio quã
Epopœiam tantùm docuiſti (ſi tamen docuiſti) poſſe ex
Ariſtotele pedeſtri ſermone ac ſtylo pangi & exarari?
Quid multa? cum ſcribat Ariſtoteles Tragœdiam & Co
mœdiam eſſe ex poematum illorum numero quæ perin-
de ac Dityrambicum harmonia, rythmo, metro denique
imitantur; profectò qui ex Ariſtotele id ipſum demon-
ſtrare moliatur quod tu prætexis ac pugnas, is Solis lucẽ
obſcuram, vel (vt ſignificantiùs loquar) rectam lineam,
curuam, curuam, rectam; demonſtrare moliatur.

I. ratio.

Ergo vt talem ac tantam inuidiam declinem, ſimul
que

que fidem liberem meam, sic primùm disputo. Quæcunque facultas imitatur, nec quamlibet rem imitatur, sed humanas actiones; nec humanas actiones imitatur quocunque modo, sed sermone; ea ex Aristotele ad Epopœiam ac proinde ad certum quoddam poematis genus est reuocāda. Sed Tragœdia atque Comœdia soluta oratione conscripta, imitatur, nec quancunque rem imitatur, sed humanas actiones; nec humanas actiones imitatur quocunque modo, sed sermone. Tragœdia itaque & Comœdia quæ soluta oratione conscripta sit, ad Epopœiam ac proinde ad certum poematis genus ex Aristotelis sententia est reuocanda. Hæc sit prima ratio. Nunc excutiat obsecro Petrus Victorius suum ille ingenium; acuat mentem Mutinensis interpres; exerant intelligentiam Victorij (si qui sunt) Mutinensisque sectatores, ac sese, siquo modo possunt, hoc expediant argumento. Qui .n. fateatur interim rectè fuisse loca illa Aristotelis explicata, ac summatim ad Epopœiam solutæ orationis imitationem fuisse reuocatam; is etiam fateatur oportet id a nobis rectè omnino constitui quod de Tragœdia Comœdiaque statuimus. Nam si quis obiiciat Comœdiam siue Tragœdiam videri interim Protheum quendam, vel potiùs monstri persimilem, quæ, cum ab Aristotele Epopœiæ è regione collocetur sexcentis in locis, nunc ad Epopœiam a nobis reuocetur; meminerit is Epopœiam a nobis in præsens non pro Heroico poemate & carmine (nam huic uerè quidem tanquam è regione Comœdia atque Tragœdia collocatur ab Aristotele) sed pro quacunque imitatione sermone facta vsurpari; (id enim facimus Aristotele ipso magistro ac duce) atque intelliget ad hanc non immerito, quin eodem Aristotele Authore, Tragœdiam & Comœdiam reuocari. Iam verò, etsi res ex proposita ratione clarior est quàm vt maiore confirmatione indigeat, veruntamen ne non argumentis abundare uideamur, lubet eam vberiùs adhuc confirmare. Ac profectò Platonis dialogi continentur illi quidem perpetua imitatione; atque ita continentur, vt hac de causa ab Aristo- *II. ratio.*

risto-

ristotele ad Epopœiam hoc est ad imitationem sermone factam fuerint reuocati. Sed tamen si quis humanas in eis actiones requirat quæ sunt poeticæ imitationis materia, si fabulam fabulæque vnitatem, si peripetiam &agnitionem, si mores præterea, si rursus quo pacto inde aut purgentur animi aut virtutibus excolantur, ac summatim ea conquirantur in illis omnia quæ in perfectam fabulam aut poesim conueniunt ex Aristotele, non difficile sanè erit quædam ex iis continuò reperire, ceu dictioné, sententiam, mores etiam: (est enim maximè omnium morata Socratica oratio) humanæ quoque actiones, quoniá dramatica est oratio illa vniuersa, non difficile occurrét, quamuis dicta magis quàm facta dialogis exprimãtur: fabula proinde non ægrè apparebit, si (quod Aristoteles docet) fabula sit actionum imitatio: plerunque etiam obseruare licebit Episodia, ac dictionem, imitationemque illam affectionibus perpurgandis, virtutibus etiam inserendis, accomodatam esse: tametsi, quoniam interdum ad sapientiam informat potiùs quàm ad mores, haud perpetuum erit dialogis omnibus animos aut perpurgare aut virtutibus excolere. difficilius tamen erit peripetiam seu fortunæ commutationem in eis agnoscere uel agnitioné notare: atque illa denique omnia obseruare quæ ad perfectam fabulam pertinent ex Aristotele. Verissimè enim dici potest ingentem illam rerum seu partium varietaté, quas magnitudinis alias, alias qualitatis appellat, aut etiã ad perfectam fabulam, vt dicebam, & poeticam imitationem reuocat Aristoteles, partim desiderari in dialogis illis, partim non tam suis illam coloribus expressam, quàm interdum adumbratam reperiri. Dum enim Plato vel docet vel refellit, ea rerum copia atque varietas non tam de industria paratur a Platone quàm ex imitatione illa naturaliter quodammodo manat & efflorescit. Quod si quis animum tantisper ab illis dialogis ad Comœdiam Tragœdiamque conuertat, intelliget profectò eam esse Comœdiam atque Tragœdiam quæ res ac virtutes illas omnes omnibus absolutas numeris atque perfectas fuisque

que coloribus mirificè expressas referre possit; præsertim verò si metris posthabitis soluta oratione peragatur. ea enim est soluta oratio quæ, si non tam doctrinæ causa (id quod Socraticis dialogis contigit) quàm Tragicæ Comicæue imitationis gratia instituatur, admirabilem illam rerum varietatem, tum recipere, ac tabulæ instar benè pictæ & in optimo lumine collocatæ, referre, tum verisimili ac decoro egregiè custodito, magno cũ auditorum bono ante oculos ponere valeat. Quæ cum ita sint, quis Platonis dialogos ad Epopœiam certumque poematis genus propter imitationem reuocari audiat ab Aristotele, qui non ad certum item poematis genus reuocandam esse fateatur nostram siue Comœdiam siue Tragœdiam quæ admirabilem illam partium varietatem & quasi syluam usque adeò perfectè sua imitatione concludit ac repræsentat? Nam si quis interim ideo æstuet ac nutet quòd vereatur ne Aristoteles callidè & per iniuriam Platonis dialogos reuocauerit ad poesim, quasi verò magistrum in poetarum gregem coniicere moliretur ut Philosophiæ palmam illi præriperet (nam certè consimili calliditate ornatæ orationis atque adeò eloquentiæ palmam eidem Platoni detulerat alibi) is controuersiæ statum permutaret. Nunc enim quærimus quid senserit Aristoteles de dialogis illis: non rectè ne an præposterè senserit: denique an quancunque imitationem soluta oratione factam reuocauerit ad poesim, non an iurè ac meritò reuocauerit. Ita fit vt cum Aristoteles vniuersam istiusmodi imitationem reuocet ad poesim, nos quoque iurè quin potiore iure Comicam Tragicamque imitationem pedestri oratione factam ad poesim ex Aristotele reuocemus. Tametsi quoniam illud priùs disputauimus in vniuersùm, ac quicquid siue Plato siue Aristoteles senserit, vno verbo, solis rationibus in consilium adhibitis, authoritateque tantisper missa, docuimus Tragœdiam atque Comœdiam metrorum vinculis non sine ingenti vtilitate ac dignitate solui posse, effecimus etiam nostram hanc sententiam retinendam esse, quamuis

Aristoteles Platoni iniurius fuisset dum Philosophicas illas Socratis disputationes in poetarum gyros impelleret. Porrò antem Tragœdiam atque Comœdiam metris solutam ac vacuam retinentibus nobis illud quoque fauet, quòd Aristoteles acriter in eos inuehitur qui ex metrorum nomenclatione ac forma distinguerent poemata: contra verò imitationis varietate distingui iubet ac variari. Qua in re eò progreditur vt non modò Empedoclem physiologum potiùs quàm Poetam haberi ac dici velit, verùm etiam Chæremonem (quod vrget maximè) è poetarum eximat numero, idque licet mira quadam carminum vsus esset varietate. Si igitur Empedocles est Physicus potiùs quàm poeta quòd imitationem neglexerit, Chæremon eadem de causa è poetarum albo deletur penitus, nec tam ingens carminum varietas suffragatur illi quicquam, cur obsecro Tragœdia & Comœdia quæ perpetua continentur imitatione, ad poesim non erunt ex Aristotele reuocandæ tametsi carminum essent expertes? Atque eodem reuoluitur tandem res vniuersa, quin etiam nobis multò magis fauet, si (quod pugnant aliqui) Chæremon dramaticè scripserat ille quidem, ac propterea imitationem retinuerat, sed tamen Aristoteles vt imitationis vim declararet, affirmauerit ne huic quidem qui tam ingentem carminum varietatem vsurpasset, ad poetæ retinendum nomen, carmina fuisse quicquam suffragatura, nisi imitatio accessisset: nam id quoque ostenderet imitationem ita esse poesis quasi animam, vt hæc vna poemati essentiam (vt ita dixerim) vitamque largiatur. Quapropter cum Tragœdia atque Comœdia soluta oratione conscriptæ nusquam ab imitatione diuellantur, quin imitatione conflatæ sint vniuersæ, aut inter germana poemata numerandæ sunt, aut vniuersa Aristotelis doctrina corruat necesse est.

III. Ratio

De Aristotelis sententia duo adhuc & dubitantur & explicatur. I.

Neque verò est quòd nos perturbet Aristoteles ac varia distrahat cogitatione quòd dixerit Tragœdiam & Comoediam Dityrambicæ ferè instar, harmonia vti, rythmo

rythmo & metro: cum enim eo in loco doceret qua ratione poemata illorum vsu instrumentorum distinguerentur ac variarentur, illud tantùm spectare debuit quod vsus interim obtineret (ex instrumentorum nanque vsu ducebat rationem) ac longo temporum interuallo confirmata consuetudo requireret. Ita fit vt si aliunde decerni possit (id quod luculentè ipsi fecimus) ac demonstrari cum Aristotelis doctrina omnino consentire vt Tragoedia & Comoedia ab metrorum vinculis liberari ac solui possit, nullum inde præiudicium decreto huic labefactando comparetur: cum non quid a priscis Comicis & Tragicis factitatum fuerit, quæramus (quanquàm an metra vsurpauerint semper, cum Athenienses iambis abiectis sermones fecisse dicantur, ac rursus mimi aliqui; post Aristotelem tamen, soluta oratione videantur conscripti, denique idem Aristoteles plurimos recenseat vt doceat tam sermone quàm nudis metris meliorum peiorumque imitationes reperiri, aliorum sit iudicium) sed quid ex Aristotelis initijs atque sententia fieri possit, vno verbo, an ex Aristotele Comoediam & Tragoediam pedestri stylo exarare liceat, doceamus. Neque verò illud obijciatur debuisse Aristotelem praecepta saltem aliqua solutæ Tragoediæ Comoediæque præscribere ac præfinire si solutam metris imitationem haud interim improbabat; etenim dialogos etiam, quippe imitatione obstrictos, numerauit inter poemata atque hac de causa concessit immo statuit Platonis dialogos ad poësim esse reuocandos, nec tamen leges ijs præscripsit vllas. Vel enim nos ad trita quæque apud omnes in confesso essent poemata informandos, & inprimis vsitatæ Tragoediæ Comoediæq; præcepta explicanda iudicauit, vel certè, quoniam eadem ad solutam Tragoediæ & Comoediæ imitationem traduci facilè poterant (vnum enim metrum cum soluta oratione est commutandum) ab eiusmodi onere sibi supersedendum putauit. 11.

Sed quoniã satis, opinor, docui, Tragoediã atq; Comoediam *Peroratur.*

Disputatio: atque inter perorandum de impurissimis quibusdã nebulonibus expostulatio fit Comœdia nomine.

diam cum posse, tum verò debere, importunis metrorum vinculis atque adeò tyrannide liberari, nec licere nobis vllam solidæ vtilitatis honestæque voluptatis partem inde percipere nisi naturalis minimeq; fucatus in illis nitor ac decus eluceat; superest Auditores optimi, vt vnum Comœdiæ nomine vobis exponam ac finem dicendi faciam. Nam cum me hesterna die commentatione defessum, arctior somnus complexus esset, duæ mihi egregia formà adolescentes per quietem obuiæ factæ sunt: quarum altera cothurnis, purpura, regioque ornatu, soccis altera communique cultu, sed mundo tamen, incedebat: vt hinc facilè animaduerterim Tragœdiam fuisse illam, hanc Comœdiam. Hæ igitur me peramanter primò consalutarunt: mox gratias quoque egerunt quòd tandem aliquando, saltem in meo hoc regno, indignissimum metrorum iugum ab illarum ceruicibus excussissem. Quam rem cum multis egissent mecum, Comœdia tandem (credo quòd persensisset se in clarissima hac luce hominum a nebulonibus quibusdam medio foro indignissimè tractari ac veluti constuprari) suas illa calamitates mecum (vt scilicet Patauinis quorum ingenio ac sapientiæ maximè fideret, eas percenserem) exponere ac deplorare aggressa est.

Ac primùm narrabat vel potiùs lamentabatur se in plaustris inter agrestes homines quin inter satyros etiam ac belluas conceptam, natam, educatam: ita vt olim vilissimum pro domo plaustrum haberet misera, & in hoc vicatim errare cogeretur: cum tamen Epopœia, Tragœdia, Lyricaque poesis in aulis ac templis aut etiam inter fortissimorum Ducum exercitus & castra & natæ essent & versarentur perpetuò. Commemorabat deinde, nec sine lachrymis, se vix adultam ac ne adultam quidem, conuiciis & maledictis adhibitam a procacissimis veteratoribus illis & petulantibus: quin absentes etiam, etsi probos, exagitare coactam & carpere; ita vt nec hominibus (sic enim illa) parceret nec Diis. Quam rem eò indolebat acerbiùs quòd & iambis subin-

de

de illigata sit ut ad conuicia esset instructior : & Phallicis (Phallica cum dico, obscoenissima quæque dico) obstricta & mancipata ut impuritatem omnem cum probris coniungeret: & mimis addicta quibus stolidos quosque, ebrios, consceleratos imitaretur ac fingeret. Sed & illud deplorabat: se è plaustris aliquando eductā, & in theatrum introductam, histrionibus auctam, scenis distinctam, instructam choris, apparatu ornatam, conuicia etiam & proba cum ornatu & choro, quæ illorum fuit peruersitas, geminasse : ita factum vt talem ac tantam sibi inuidiam conflauerit apud bonos omnes, vt solum vertere, Græcia penè tota exulare, iussa sit His addebat se paulò post nouæ Comœdiæ nomine è postliminio reuocatam, ac pro conuiciis & probris iocos & risus, sed amores in primis, amplecti iussam, paulò recreatam esse, spe etiam suscepisse maiora. Quid enim non recrearer (sic enim pergebat illa) cum eos interim nacta essem qui se pollicerentur inter ipsos amores & iocos, quin etiam inter fraudes & rixas, curaturos vt cautiores redderentur auditores, & de suo quisque officio admoneretur? quid non sperarem, cum ijdem me in posterum morum emendatricem vitæque magistram futuram vel iureiurando interposito spopondissent? Sed o spes fallaces, o cogitationes inanes meæ. dum enim meditantur vt vestros mores in alienis personis effingentes, expressam imaginem quotidianæ hominum vitæ vobis ponerent ante oculos, atque hinc fore sperant ut mores quisque componere possit & ad familiam gubernandam, Remp. etiam temperandam, institui; ecce tibi nescio quo pacto ingenti numerorum metrorumq; varietate, quasi cantionibus ac veneficiis, delinita; auloedis, cytharoedis, saltatoribus laruis ac soccis, implicata; machina, prosceniis, orchestra, pulpitis, sipariis, auloeisue onerata, persensi me huiusmodi deliciis ac machinis impudicos amores non tam extinguere quàm excitare : nec tā ad hilaritatem quàm ad intemperantiam auditores prouocare : denique ad animos eneruandos potiùs quàm

relaxandos

relaxandos compositam esse & comparatam. Quæ deinde calamitas cum in dies magis ac magis mihi indolenda fuit, tum maximè nostro hoc seculo deploranda ac detestanda est. video enim me in impurissimos nebulones incidisse, quorum culpa dum in clarissima vrbe atque adeò in optimarum artium theatro ac domicilio, perpetua quadam scurrilitate, dicacitate etiam turpissima, ostentor, infamiam contraho sempiternam. Ita demum, si me Patauini deserant, quò me, infœlix, vertam; ad quos confugiam, misera, quos implorem aut obtester, non habeo. Hic erumpentibus lachrymis, mox dolore oppressa, pallens, tremens, exanguis denique, concidit exanimata. vt me quidem coegerit illius acerbitatem & dormientem deflere, & nunc etiam somno relaxatũ mirificè indolere.

FINIS.